XVII. 3757

C 696.

2 A e 12.

FIRMAMENTVM SYMBOLICVM,

IN QVO

DEIPARÆ ELOGIA,

Quibus, velut firmamentum ſtellis, eſt exornata, ſymbolicè depinguntur.

OPVS,

KONWENT OO. REFORMATOW
W PRZEMYŚLU

Coaleſcens ex ſolis idq; novis conceptibus allegoricis ad uſum Concionatorum, & DEIPARAM colentium,

COMPOSITVM

A R.P.F. SEBASTIANO A MATRE DEI,

CARMELITA DISCALCEATO POLONO.

Conventus Premisliensis Fratrum Minorum Reform.
Grata Munificentia D. Bartholomaei Pasakowic
Canonici Premisl. Parochi Rokitnicensis
Oretur pro eo

LVBLINI,

SVMPTIBVS GEORGII FORSTERI S.R.M.
BIBLIOPOLAE. M. DC. LII.

Cum privilegio S. R. M. Poloniæ & Sueciæ.

XVII. 3757

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.L.

68|2129|9k.

1200,-

PERILLUSTRI ET REVERENDISSIMO
DOMINO

Dn. THOMÆ A RUPNIOW UIEYSKI,

Abbatiæ Plocenſis perpetuo Admini-
ſtratori, Præpoſito Varmienſi,
Cuſtodi Gneſnenſi, Secretario S. R. M.
Domino Obſervandiſſimo.

EX quo mihi fores amicitiæ Tuæ patuerunt, aditusq; ad eandem conceſſus fuit, ſtatim me ad quævis officia & obſequia tibi obligatum animus meus fecit. Tantis ſemper me excultum beneficiis, tantaq; facilitate exceptum voluiſti, ut quoties acceſſi, dediſſe, non accepiſſe beneficium quibusdam viſus fuerim. Hinc mearum eſſe partium viciſſim ratus ſum, in id ſedulo incumbere, ne ob ingratitudinis notam, tantæ benevolentiæ unquam Te pœnitentia ſubiret, ego

vero

verò pudore non ſatis agniti beneficij ſuffunderer. Quamvis autem virium mearum benè mihi conſcius, id in me poſitum non eſſe ſatis ſemper cognoverim, facere tamen judicavi, quod omnibus ære deſtitutis ſolenne eſt, ut quia quod dem non ſuppetit, me tamen debere agnoſcerem. Neque enim gratitudo ſemper in eo conſiſtit, ut par pari retribuatur, ſed & is gratitudinis laudem habet, & reddidiſſe beneficium dicitur, qui libenter debet. Sic & ego, quia me nunquam condignam gratiam referre poſſe ſcio, illud ingenuè ubiq; confiteri non deſino, me referre non poſſe. Et exinde me eò nunc abripi paſſus ſum, ut chartaceo hoc munere, non quidem tot de me præclara merita redhoſtirem, ſed gratitudinem debitam qualicunq; ratione conteſtarer. Incitavit me, præter tot & tanta beneficia, ad hoc pietas, candor, & illa Tua tam præclara humanitas, quas ſane virtutes, (quibus reliquas includo) tam amicè apud Te conſpiraſſe quis eſt, qui neſciat? Pietatem loquuntur, immò pleno ore ebuccinant, tot in Eccleſiam Dei, pauperes, orphanos, clinicos, omnique ſolatio & humana ope deſtitutos indies erogatæ eleëmoſynæ; adeo ut cum Tito Imperatore eum diem periiſſe dicas, ubi non plena manu amicis Chriſti, & ob id & tuis, aliquid in ſubſidium diſpenſaſti. Gaudes quoties ex-

penſa-

penſarum paginas his titulis inſignire occaſio datur,& id tamen non ad faſtum, nec oſtentationem , ſed pientisſimo affectu, nec ut hominibus, ſed ut Deo placeas. Accenderis ad hæc pietatis exercitia, quod inter opes poſitus, ſi quid agas, tuum, ſi quid habes, alienum eſſe judicas, atq; ita Chriſto, & Eccleſiæ Chriſti theſauros effundere non gravaris, ut tandem cæleſtibus theſauris fruaris, de quibus nemo eſſe certior eſſe poteſt, niſi qui, quod tu facis, opera cælorum in terris tam asſiduè patrat. Candorem & extra & in ipſa aula (quod multis fidem & posſibilitatem ſuperare videtur) ita omnibus manifeſtaſti, ut non contis, nec remulco quod ajunt, nec flexiloquis ambagibus vel obſcuris , ſed velificatione plena omnibus , tuum favorem implorantibus, adjutabilem operam præſtiteris. De humanitate multis ut dicam opus non eſt, virtute ita Tibi peculiari , ut ad eam Te & natura genitum & induſtria factum , non ſine præclaro tuo elogio , omnes confiteri neceſſe habeant. Poſſem hic plenis velis in tuas ulteriores animi invidioſas dotes excurrere, ſi ſolem lucernâ oſtendere vellem, ſed quia ſatius eſſe duco orationem meam ad tuam moderationem ſubmittere, etiam id, quod virtutibus tuis merito deberetur , præterire , quam multis tuam modeſtiam, & meam verecundiam onerare malo.

Acci-

Accipe ergo, absq; ulteriori alloquio, Vir *REVEREN-DISSIME*, hoc qualecunque animi mei grati erga Te argumentum, illudq; ex mentis meæ propenſione æſtima, me vero impoſterum, ut hactenus conſueviſti, perpetim favore tuo & amore complecti ne dedignare. Datum cum voto omnis felicitatis & proſperi rerum ſucceſſus Gedani Die 23. Decembris Anno 1652.

Perilluſtris ac Reverendiſſimæ Domina-
tionis Tuæ ad quævis officia
paratiſſimus

Georgius Förſterus,
S R.M. Bibliopola.

MATRI
SED
SEMPER VIRGINI;

ILLI VIRGINI MIRABILI,

QVÆ

GENITOREM SVVM GENVIT,

ALTOREM ALVIT,

REXIT DEVM,

SVVM DOMINVM SVBDITVM HABVIT,

VIRGINI DEIPARÆ MARIÆ,

Dominæ ſuæ Tutrici firmamento

VILIS SERVVS

FR. SEBASTIANVS A MATRE DEI

CARMEL. DISCAL. OFFERT HVMILIME.

PORto ad te, ô Domina mea dulciſsima, primum hoc laboris mei pignuſculum, porto, nam obſtrictum

 me,

me tibi profiteor mille modis. Ipſos in medium non adduco, nam quæ carta ad capiendos ſufficeret? In corde igitur interim maneant exarati & ſuppreſſi die mundi ultimo dum totus terrarum coram tuo nato ſtabit orbis propalandi. Interim hoc minutum pro innumeris illis obtuliſſe ſufficiat, cum advenerit tota æternitas, quam per tua merita, ô Virgo, ſpei plenus expecto, ibi agam gratias, ibi beneficia prædicabo, ibi ad tuos pedes ſanctiſſimos provolutus laudare & referre gratias non ceſſabo, Fiat. Fiat.

AD EANDEM
VIRGINEM
DEIPARAM,
DOMINAM MEAM.

Primigenum	*Pignus*	*Prædulci*	*Porto*	*Parenti,*
Pignus	*Primigenum*	*Poſcens pro*	*Pignore*	*Primo,*
Primigenum	*Pignus*	*Præbebis*	*Pulchra*	*Puellum;*
Præbendo	*Pulchrum*	*Pulchello*	*Pectore*	*Paſtum*
Primigenum	*Puerum*	*Pulcherrima*	*Porrige*	*Poſco.*
Primigenus	*Paſcit*	*Prædulcis*	*Puſio*	*Parvus,*
Puſio	*Perbellus*	*Paſtum*	*Præbendo*	*Perennem.*

VOTVM CHRONOSTICVM.

SeMper Da sanCtæ reX grata LItare parentI,

 RE-

RELIGIOSISSIMVM OPVS

MARIANVM

F. ELISEVS A S. MARIA

CARM. DISCALC.

Metroproſâ extollit Carmelitica.

GERTRVDIS ægra lectulo
Affixa febri, maximè
Devota VIRGO VIRGINI
MATRI DEI piiſsimæ;

Toto profuſam pectore,
Totaque mente profluam
Devotionem poſtulans
Verbis adeſſe congruam:

Diſtracta morbo colligit
Pro POSSE vires; viribus
Totis parentem cælicam
Requirit, & conatibus.

Non poſſe deflet plurima
Formare verba; ſupplici
E corde, NOMEN AVREVM,
Verbo ſalutat triplici.

AVE MARIA GRATIA
REPLETA. Sicve pluries

Idem

Idem revolvens: concita
His DIVA, mille millies.
Ergo videndam languidæ
Se præbet ALMA Virgini;
Novum togata Pallium
Vicina CHRISTO lumini
Sed Pallio mirabile
Pratum refulſit, florida
Veſtis MARIÆ denotat
GERTRVDIS ora fervida.
Laudem Colentis vividam
Mutis refert odoribus:
Cæleſte reddit invicem
AVE, locuta floribus.
GERTRVDIS hæc pro laudibũs
Tulit; Beata munere:
Par munus eſto, Virgini
Qui ſerta geſtit nectere.
SEBASTIANVS maximis
Perfunctus ut laboribus:
Mox inter hos DEVMPARAM
Vivis avet coloribus.
Integritatem candidus
Pudor figurat; blatteus
Amor Parenti concolor;
Spadix coronat entheus.

Cunctæ venuſtates bonis
Fuſæ relucent ſenſibus:
Amicta Sole Fæmina,
Bonis corruſcat ſortibus.
Lux ergo, quantam congerit
SEBASTVS hîc Viragini;
Suum colorat Filium,
Suo reflexa germini.
Et Virginale Pallium
Quod omniformi floſculo
Is ornat: hoc & altero,
Id Virgo reddit * Seculo.

* Alluditur ad SS. Scapulare.

PERMIS-

PERMISSIO.

LIBRVM cui, titulus FIRMAMENTVM SYMBOLICVM, *emblematicè Elogia Beatiſſimæ Virginis* MARIÆ *depingentem, à R. P. F.* SEBASTIANO A MATRE DEI, Provinciæ noſtræ Polonæ Sacerdote profeſſo compoſitum, typis mandari authoritate mihi à R.P.N. Præpoſito Generali P. F. PAVLO SIMONE commiſsâ, permitto : dummodo à Theologis noſtris, quos ad hoc ſpecialiter deputavi, examinetur & approbetur. Datum in Collegio noſtro Viſnicenſi Sancti Salvatoris, die trigeſimâ Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo.

FR. GREGORIVS A IESV MARIA,
VIS. GENER.

Fr. Bartholomæus à S.ta Thereſia.
Secretarius.

APPROBATIO.

LIbrum cui titulus, Firmamentum Symbolicum, *Authore* R.P.F.Sebaſtiano à Matre Dei Carm. Diſcalc. *excommiſsione Admodum R. P. N. Viſitatoris Generalis in Polonia R.P.F.*Gregorii à Iesv Maria, *legi: opus Authoris pietatem & devotionem erga ſereniſsimam Reginam Cæli & terræ probat, eamque pulchris & novis ſymbolis & conceptibus Chriſti-fidelibus juxta ſenſum S. Romanæ Eccleſiæ perſuadet, proinde & in publicum prodeat, judico. Datum Viſnicii in Conventu noſtro S. Salvatoris.*1643, *die* 29. *Februarii.*

F.Ambroſius à S[ta] Maria,
Diſ[tor] C. D. Prov. P.

APPROBATIO.

FIrmamentum Symbolicum *præcipuis Deiparæ Virginis Elogiis adornatum, & ad communem utilitatem Concionatorum, è ſolis novisque conceptibus accommodatum, mihique videndum à P. N. P. F.* Gregorio à Iesv Maria Viſitatore Generali Provinciæ S. Spiritus in Polonia, *commiſſum, legi; nihilque in eo Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſum contineri cenſeo. Cracoviæ in Conventu S. Michaëlis & Ioſephi.* 11. *Aprilis* 1648.

F.Cæleſtinus à Spiritu, Carm. Diſcalc.

FIRMAMENTI SYMBOLICI SIVE ELOGIORVM

DEIPARÆ MARIÆ STELLA I.


FIRMAMENTUM vel oculo atteſtante, non ſolùm ſtellis pulchrè decenterq; micantibus eſt adornatum, verũ etiam cuncto orbi proficuis, nam influxus-ſuos in eum dum exerunt, & decorè ubertate copioſa efficiunt redundantem: Hoc idem de pulcherrimo orbis cuncti Firmamento Virgine Deipara aſſerere qui detrectaret, ego illi mentem denegarem. Vtinam & vitalem vitam in gloria non denegaret Factor eius. Exornatum eſt Firmamentum iſtud innumeris prærogativarum ſyderibus, ſed ſyderibus quæ non ſolùm exornant ipſum, verùm etiam in nos vim benigni influxus ſui exerendo

bonis orbem totum locupletant omnigenis, fert animus has ſtellas contemplari, non omnes, nam ſunt innumeræ, percenſere illas excedit facultaté, ſed deligam ex ipſis aliquas. Aſpiret omnipotens. Confirmet Firmamentum.

Et inprimis occurrit ſtella grandis continua, nempe beneficentia Deiparæ in orbem univerſum, quæ, quia univerſalis eſt, inprimis quoque ſpeculanda: ſpeculabimur libenter ô Domina mea, ſed obſecro da veniam, ut tam huic quàm alijs poſtmodum contemplandis nomina imponamus, & hoc ideo, ut animus noſter per ea quæ novit ſurgat ad incognita, quæ non novit, & inſuper faciliùs elogiorum tuorum recordetur, dum nomina illarum rerum videbit illis impoſita, quæ oculis ejus ſolent frequentiùs occurrere. *Accepta à Domina mea* facultate, jam huic primæ ſtellæ nomen labri publici vulgò Fontanæ imponimus. Quare? Symboli argumentum conſulito.

FONS PVBLICVS VVLGO FONTANA.

MARIA SEMPER BENEFACIENS.



NOCTU DIUQUE MINISTRO.

ARGVMENTVM.

Fontes publici perenniter fundunt aquas, etiam illo ipſo tempore quo homines vel otio vel quieti indulgent. Quadrat Symbolum Deiparæ, beneficia namque ſua inceſſanter effundit in homines etiam dormientes, quales pigriculi ſunt ingrati & voluptatibus ſoporati.

DISCVRSVS.

FOntem video Virginem Deiparam, ſed publicum, ſunt in delicatis priuati fontes hortis, ſed clauduntur, tuncque ſolùm fundunt aquas, cùm amici vel hoſpites hortũ adierint. Tu publicus, nam tua beneficia ceſſant nunquam ô Virgo. Sciunt multi verum eſſe quod dico, ſed quia neſciunt aliqui, da veniam ut famulus tuus illis hoc aperiat.

Gen. 28. Obdormierat Iacob in itinere quod in Moſopotamiam ſuſceperat, & ecce in ſomniis videt ſcalam ad Cælum pertingentem, per illamque Angelos aſcendentes & deſcendentes. Cur Angeli illi ſaltem per aliquod temporis ſpatiolum non quieſcunt, ſed aſcendunt & deſcendunt continuò? Per ſcalam illam ſignatur Virgo Deipara, ita S. S.Bonav. Bonav. in Lau. Virg. & ideo non permittit Angelos quieſcere, ſed continuò urget illos, ut nunc deſcendant ad homines beneficia divina deferentes, nunc aſcendant conſpectui divino bona opera mortalium offerentes.

Imò vlteriùs inquiro cur noctu videt ſcalam, in qua Angeli non quieſcunt? nam ſi homines tunc dormiunt, ad quid Angelis aſcendendum vel deſcendendum, nam non debent deſcendere ut deferant

ferant illis dona Dei, illa enim dormientibus conferre indignum? Deſcendunt ut quilibet noſtrûm intelligat Deiparam nunquam dormitarè, ſed tranſmittere beneficia continua etiam & noctu, etiam & his, qui ſomno quietiq́ue indulgent. Et ſanè multa multi vorarent peccata noctu ſi non tranſmitteret illis ſcala hæc benedicta ſubſidia precibus ſolicitis.

Templum illud magnificum à Salomone conſtructum, gratum ejaculabatur ſplendorem tam diurno tempore quàm nocturno, nam erat tectum eius auro tectum, parietes candore niveo conſpicui, unde vel à luna, vel à ſtella aliqua repercuſſum ſplendorem emittebat. Quare divina providentia diſpoſuit, ut ſpargeret fulgorem ſemper templum illud? Deiparæ typus fuit ſecundum S. Bonaven. in Lau. Virg. ô verè præfulgidum iſtud Templum ſemper orbem beneficiorum illuminat fulgoribus, nec vel minimum invenire eſt temporis curriculum in quo hi fulgores ſubducuntur. S.Bonav.

Deipara Virgo non ſolũ comparatur Soli, verum etiam Lunæ & ſtellis, ſic enim vidit illam mulierem (quæ teſte Aug in Pſal. 142. typus eſt Virginis Deiparæ) Ioannes in Apocal. amictam ſole, lunam ſub pedibus ejus, in capite ejus ſtellas *Apocal.* 12. S.Auguſt.

duodecim. Quam ob cauſam non Soli comparatur tantùm, quia hic interdiu lucet tantummodo, ſed & ſoli, & lunæ, & ſtellis, vt colligas, numquam Deiparam deſiſtere, à luce beneficentiæ exhibenda

Cant.6. Richar. In Canticis Canticorum Deipara, Rich. l.11. atteſtante, Terribilis ut caſtrorum acies ordinata appellatur. Quomodo caſtris eſt perſimilis, ſi infames retinent juxta illud: *Rara fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur*? imò benigniſſima quo modo terribilibus caſtris adæquanda? In caſtris providentia eſt continua, quæ alios ordinat vt agant nocturnas excubias, alios ut erumpant pabulatum, alios ut ad aliquem ex hoſtibus capiendum invigilent. In hoc ſimilis caſtris ordinatis Deipara, quia nunquam ceſſat providentia eius circa nos eſſe ſolicita.

Iſaia 19. S. Hieron Prædicens Iſaias dandam nobis Deiparam, ſub ſymbolo nubis levis ipſam adumbravit. Sic enim intelligit locum eius S. Hieron. ſuper Iſaiæ 19. Quare tam ſuprema Imperatrix per rem adeò vilem præſignatur? Accipite rationem, numquam dari tempus abſque nube tam nocturnum, quàm diurnum oculus atteſtatur. Atteſtatur etiam nubem ſemper operari, vel enim refrigerat, vel temperat lucem ſolis, vel ſi lucida ſit ſaltem viſum

recreat

recreat, aẽremq́ue exornat pulcherrimè. Ideo ergo Deipara per illam præſignatur, quia nunquam ceſſat ab aliquo beneficio orbi exhibendo. Vel enim refrigerat graſſantem in membris concupiſcentiam, vel temperat favorem iræ Dei, vel recreat animam, vel exornat mentes noſtras coloribus venuſtulis.

Miſſus Elias ad viduam, oleum & multiplicat & perennat. Obſecro, quare in domuncula viduæ patrat grande hoc miraculum, non verò in domo hominis alterius? Vidua illa ſecundum Richard. à S. Laur. l. 6. Deiparæ imago eſt, oleum communicationem bonorum ſignificat juxta S. Hierony. ſuper Ezech. 45. bene ergo, bene in domo viduæ oleum perennatur, ut diſcas beneficia in nos Deiparæ ſemper eſſe perennia.

3. Reg. 17.

Richar.

Imò dic iterum, cur non aliam rem multiplicat perennatq́ue, ſed oleum. Oleum Deiparam adumbrat: Sic appellat illam S. Ambroſ. cap. 13. Inſtit. Virg. Ergo ideo oleum manat perenniter ut colligas Deiparam oleum iſtud benedictum nunquam imminui, quin communicet ſe hominibus continua beneficia exhibendo.

S. Ambro.

Prodidit Solinus citatus à Petro Berchorio Reduct. Moral. l. 13. c. 18. n. 7. in Æthiopia apud Macrobios locum eſſe dictum Heliutrapezia, abun-

dantibus epulis ſemper redundantem, quæ etiam Divina virtute augentur continuò: Verùm iſtud an frivolum non inquiro. Hoc veriſſimum Virginem Deiparam, Virginem ſuper omnia poſt Chriſtum benedictum locum eſſe talem. Accede, invenies ſpondeo apud ipſam fercula innumera, ſed fercula ſapida, fercula vitalia. Quæ? Beneficia. His ferculis abundat ſemper, Virgo ſemper Virgo, hæc augentur in domo ejus perenniter: Et licèt illa tranſmittat aſſiduè, tam bonis quàm diſcolis, abſumuntur nunquam, citiuſque Cælum deficiet quàm prædicta fercula vitalia minnuētur.

Hæc eſt Stella prima, ad alteram veniamus: Ad quam? Ad Speculatricem. Iure illi hûnc titulum imponimus, indágare ſolet latitâtes inſidias illaſque detegere. Iure & præcedentem hæc ſubſequitur, nam loquendo diſtinctiùs de influxu, quem per ſuas Stellas firmamentum iſtud præſtat nobis, primus eſt detegere pericula, nam & primum quod noſter aggreditur hoſtis, eſt ſtruere nobis inſidias. Sit ergo Stella 2. nomen ejus,

SPECVLATRIX.

MARIA DETEGENS PERICVLA.



FRUSTRA NAM ISTA MONEBIT.

ARGVMENTVM.

Columba dum reſidet ſuper aquas ab accipitre eſt ſecura, nam umbram volitantis aqua ipſi aperiet monebitq́, ut fugiat intra petram periculum evaſura. Quadrat Symbolum Deiparæ, nam admonet ipſa ſeruos ſuos ut impendens evadant periculum.

DISCVRSVS.

PEriculis plenus mundus eſt, ſemper volitat rapax accipiter hoſtis infernalis. Vis evadere, monſtro aquam vitæ Virginem Deiparam, ibi mane, ipſa cuncta deteget pericula. Auſculta.

Gen. 27. Rebecca præſentiens Eſau malum contra Iacobum meditantem, illud & aperit & admonet, ut abſcedat in Meſopotamiam. Cur non pater ſed mater inhians illud detexit periculum? Nam utique pater erat prudentior, poterat ergo faciliùs colligere periculum, & ſic ut filius illud evaderet admonere. Rebecca aperuit, geſſit enim typum Virginis Deiparæ teſte S. Bernardo. Serm. de B.V. cujus officium eſt proprium, ſuis aperire impendentia pericula. S.Bernar.

Luca 12. Vltimo Iudicii die adventante Sol & Luna horribilem in modum eclipſim patientur. Quare ſol & luna induent ſaccos illos, nam indignus eſt mundus ut lugeant illum aſtra tam fulgida? Eclipſes illæ, denuntiabunt imminens ultimum mundo periculum, & ideo quaſi hortabuntur exemplo ſuo peccatores, ut induto pœnitentiæ ſacco periculum illud effugiant, ſed cur Sol & Luna potiùs hoc facient? Tam Luna quàm Sol

Deiparam

Deiparam ſignat, teſte S. Bernardo Serm. 3. in Salve Regina, & ideo malum imminere nuntiabunt, ut innuant, hoc proprium eſſe Deiparæ, nuntiare pericula affutura. S. Bernard.

Inter illa quibus Domina mea benedicta comparatur eſt etiam fons: Fons hortorum. Puteus aquarum viventium. Cur fonti? Cùm imminet terræ motus, fons admonet, nam tunc aqua eius turbulentior ſolet ebullire, tetrumque odorem exhalare. En ratio igitur cur fonti comparatur, denuntiat hæc benigna mater impendentia pericula. Cant. 4.

Horridior tempeſtas antequam adveniat nubes atra exoritur: Quam ob cauſam atra nubes ipſam antecedit? Nubes Deiparam ſignificat ſecundum Richar. l. 7. priùs illa exurget, priùs te ad evadendum hortabitur, quàm tempeſtas nociva adveniat. Monebitque vt non ſolùm te, verùm & ſi quæ foris ſunt bona tua recolligas, & abſcondas. Richar.

Tritum illud eſt: Lunæ nomine appellari Deiparam. Cur? explicat hanc quæſtionem ille verſiculus, *Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.* Nam ex illo colligo, tempeſtates denuntiare craſtinas, ac proinde jure Deipara illi comparatur, nam & illa imminens denuntiat periculum, Cant. 6.

culum. Sed indago ulteriùs cur Luna pallet dum pluvia, rubet, venti dum impendent? Non ſolùm Luna in communi denuntiat mala affutura, ſed qualia ſint etiam commonſtrat. Non quia pluvioſum tempus eſt lugubre, veſte lugubri nempe pallida hoc præſignat. Venti quia ſolent eſſe furioſi, furioſam induta veſtem nempe flammeam, ſive rubeam hoc innuit: Quàm quadrat ergo Luna Deiparæ, quæ etiam clarè & diſtinctè detegit impendens periculum.

Narrat Iulius Frontinus Stratagematum l. 1. cap. 2. de Æmilio Paulo Coſſ. quòd cùm advertiſſet, avium multitudinem citatiore curſu è ſylva evolaſſe ſtatim conjecerit inibi latitare inſidias. Et ſanè conjecerat egregiè, nam decem millia Boiorum ſeſe occultarant, quos ille per aliud latus legionibus immiſſis circumfudit. Detexerant huic aviculæ illæ latens inſidiarum periculum, ſed mihi crede, ô homo, cole tantummodo Virginem Deiparam, videbis quomodo non unicum, nec ſemel, ſed cuncta & ſemper fideliter deteget inſidiantia tibi pericula.

Dum homo periculum impendens adverterit ſanguet præ timore. Ergo indiget erigente, erigit Virgo Deipara. Sequatur ergo ſtella alia cui nomen damus Vitale Irriguum.

VITA-

VITALE IRRIGVVM.

MARIA LANGVENTES ERIGENS.



Ioan Thomas delin. A. Loemans ſcalp.

ERIGET IRRIGVVM.

ARGVMENTVM.

Graſſante ſiccitate infirmantur, areſcunt, & quaſi mori flores incipiunt. Vnde & ad terram inclinantur, verùm cùm pluvia advenerit eriguntur & vigorem priſtinum recuperant. Quadrat Deiparæ, vivificat enim etiam morti propinquantes.

 DISCVR-

DISCVRSVS.

NOn ego hominem flori comparo, comparavit Dominus per Iob dicens, *qui quaſi flos egreditur & conteritur* &c. Pulcher eſt flos iſte fateor, ſed caducus, deeſt irriguum, & languet, mortique appropinquat. Sed macte animo, providit Dominus irriguum quod languentes erigit, ſanat debiles, redditque ſoſpitati. Quod? Pluviam ſuper omnia benedictam Virginem Deiparam. Non aberro, quòd pluviam appello, erigit enim languentes hos floſculos. Quomodo?

Apocal. 11. & 12. Apocal. 11. Narrantur facta fuiſſe fulgura, voces, terræ motus, & grando magna, & ecce immediatè ſtatim ſubditur cap. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta ſole*, Quare obſecro apparuit mulier tunc, non antea vel poſtmodum. S. Auguſt. Mulier illa, teſte S. Auguſt. in Pſal. 142. Deiparam adumbrat. Iam ergo colligite myſterium, cur mulier illa tunc apparuerit. Dum fulgura, voces, terræ motus graſſantur, languent homines præ timore. Sed adeſt tunc mulier illa typus Deiparæ, ut doceat nos altiſsimus, quia Virgo Deipara ſtatim ſolet conſurgere ut homines erigat à languore.

Fugiebat Ionas in Tarſis à facie Domini, ſed ille

ille,quem effugere non eſt poſsibile, diſpoſuit, ut in mare à nautis mitteretur. Cur in mare? languebat vehementer tunc anima Ionæ (quomodo enim non langueret fugitando ab illo qui vegetat univerſa) & ideo ut recuperet ſanitatem in mare proiicitur. Ergo mare poterit languorem ejus depellere? Ita ſanè. Mare MARIAM ſignificat, teſte S. Bonaven. in ſpec. Virg. Cùm Dominus vult alicuius languorem erigere, mittit illum ad Mariam patrocinio ipſius illum recommendans. *Iona* 1. S.Bonav.

Ad Eliſeum Prophetam veniens Naaman ſanitatem petebat. Annuit Propheta,ſed ut illam conſequatur mandat in Iordanem deſcendere. Ad quid relegat ipſum ad Iordanem, nam poterat modo alio ſanitatem illi tribuere. Iordanis Deiparam ſignificat iuxta S. Hierony. Epiſt. ad Fabiolam, Naaman languentes. Ad Deiparam relegantur languentes, ipſi enim commiſſum eſt vt eos reddat ſoſpitati. *4.Reg.5.* S. Hieron.

Emiſerat ancillas Sapientia, ut inſipientes ad bibendum vinum attraherent. Certè videtur Sapientia delirare, nam inſipiens abſque vini hauſtu multa patrat indecora, quantò plura patrabit vino plenus? Imò in aræ ſapientiæ inſipiẽs vinum ſumet, in qua domus pacis eſt, nam utique domus eſt pacificæ? Parũ infatuata videris ô Sapiẽtia! *Prov.9.*

tia. Abſit,abſit,imò vocet inſipientes, attrahat ad arcem,languent enim ſtultitiâ languoré inducente, & ideo vinum illis medicum exhibeat, quod languorem ſanet, vigorem reſtituat, per illam namque ſapientiam Deipara deſignatur teſte Ecclesia in officiis B. V. quæ continuò quærit languentes vt illos liberet à languore.

Eccleſiá.

Omitto quòd floribus medicinalibus comparetur. Omitto quòd iverit ad Ioannem videns ipſum languentem durum originale ob peccatum. Ex quibus colligere poteris illam verum eſſe languentium florum irriguum.

Boetius Severinus Papiæ incluſus carceri, ac ſemianimis guſtato vino Ticinéſi generoſiſsimo ad ſe rediens exclamavit. O fœlicia hujus urbis vina quæ Civibus veſtris lætitiam,exulibus etiam vitam reſtituitis,moxque ad ſcribendum pulchrũ illum de conſolatione librum ſe convertit. Hoc narrat Bernardus Saccus l. 5. Ticinenſ. Hiſt. Efficacius ſervis tuis præbes tu vinum ô Virgo Superbenedicta. O verè efficacius, nam ubi illud languenti porrexeris, ſubitò languor evaneſcit, & cor inſolito vigore conſecuto lætum & vegetum ad omnia ſe eſſe experitur. Non ceſſa ô Virgo Deipara nos ſalubri hoc vino reficere, nam vita præſens, vita hæc miſera, languor verè eſt continuus.

Homo

Homo non ſolùm indiget Deiparæ ſuccurſu dum languet, indiget quoque dum omnia proſpera experitur. Nam & ipſa conatur hoſtis invidus ſurripere. Succurrit Deipara. Sit ergo Stella 4. Nomen ejus, quare Catena ſit ex facie Symboli deprehendes.

CATENA AVREA.

MARIA PROSPERITATEM CVSTODIENS.



VT ADSINT ADSVM.

ARGVMENTVM.

Arbores fructibus abundantes cuſtodibus muniuntur, nam ſi aderit Cuſtos aderunt & fructus, ſi aberit cuſtos aberunt & fructus; nam irruent multi in pomarium, & arbores fructibus ſpoliabunt. Quadrat Deiparæ, hæc enim cuſtos adſit vt integra maneat proſperitas.

DIS-

DISCVRSVS.

MVndus iſte appellatur deſertum, agat mihi gratias, pomarium ego ipſum nuncupabo. Nec abs re, nam homines arbores ſunt, quocirca mundus in quo degunt, pomarium eſt dicendus. Fateor in iſto pomario aliquando vacuas arbores inveniri, aliquando abundantes. Vacuæ ſunt calamitate irruente boniſque ſpoliante: Abundantes cùm iterum grata affulſerit proſperitas. Sed heu! Vix comparuerit proſperitas, invigilat periculum. Vis abeſſe periculum? adſit Deipara Virgo, illa ſi aderit, aderit & ſplẽdor tuo pomario. Et videas me non temerè hoc effutire.

Venerat ad nuptias cum filio Deipara. Cur venit; nam quid faciet in nuptiis Virgo amans ſilentii, contemptrix vanitatum? Nuptiæ proſperitatem ſignificant, & ideo adeſt Virgo vt proſperitatem cuſtodiat incolumem. Et videte, non legimus in nuptiis illis vel rixas, vel vulnera, imò nec aliquid inhoneſtum contigiſſe, & tamen vix aliquæ nuptiæ celebrantur abſque iſtis: Cur ergo nil talium contigit? aderat Virgo Deipara, & ideo integra manet proſperitas, nec turbatur per talia. Si Virgo abfuiſſet, abfuiſſet & bonum hoc à nuptiis. Imò ne etiam per defectum vini turbaretur, Joan. 2.

illa nuptiarum proſperitas, adegit filium, vt miraculosè vinum provideret. En quàm bona Cuſtos proſperorum Deipara.

Gen. 2. Fecerat Deus in Paradiſo fluuium aſcendentem ad irrigandam terram paradiſi. Ad quid, obſecro, nam utique prævidebat hominem non manſurum diutiùs in paradiſo, & conſequenter ad quid producitur terræ irriguum, ſi in ea colonus homo non manebit. Nec vnicum per momentum ſine fluvio paradiſus ſtare poteſt. Fluvius etenim Deiparæ imago eſt, Richardo aſſerente, paradiſus proſperitatem ſignificat, & ideo creandus erat cum fluvio paradiſus, non ſine Mariæ cuſtodiâ, neque ad momentum proſperitas perdurabit.

Richard.

Gen. 8. Columba emiſſa à Noëmo ramum olivæ apportauit. Cur columba non aliud animal? Columba Deiparā ſignificat iuxta Bedam ſuper 8. Geneſ. ramus verò proſperitatem finito diluvio revertentem. Ergo à typo Deiparæ deportatur, vt Dominus inſinuet, quomodo proſperitas manibus Deiparæ ſit committenda, aliàs dilabetur.

Beda.

Non tempore David Regis ſed tempore Salomonis templum illud magnificum eſt extructum. Cur tempore Salomonis? Aurea tunc affutura erat proſperitas, & ideo & templum extruendum.

S. Bonav.

truendum. Templum enim illud Deiparam ſignabat atteſtante D. Bonav. in Lau. Virg. ſine qua nullo pacto poteſt ſubſiſtere proſperitas.

Antequam Sol oriatur comparet aurora. Cur? dies proſperitas eſt, Aurora Deipara ſecundum S. Bernard. Serm. 33. in Cant. antequam ergo dies veniat præmittitur aurora, ut videas hanc auroram cuſtodiæ diei deputandam. Et ideo cùm grata adventabit proſperitas implora Deiparam ut ad eius exurgat cuſtodiam. S. Bern.

Romani Apollinem, catena alligabant Herculi, fortè ideo ne permitteret ipſum Hercules abſcedere provinciarum ſuſpiriis evocatum. Vana erat hæc & futilis Romanorum induſtria, ſed non vanum quod porrigam tibi conſilium ſi appetis ô homo ne à te proſperitas diffugiat. Roga Deiparam ut curam ejus ſuſcipiat, ſi ſuſcipiet alligabit ipſam adeò tenaciter, ut nulla vi frementis inimici, nullo actu poſsit à te dimoveri.

Vt hoſtis proſperitatem homini ſurripiat ex ſuſcitat in illo paſſiones, Adeſt Deipara & frementium compeſcit feritatem belluarũ: ſit ergo Stella V. Nomen ejus quare Lampas terrificans Symbolum explicabit.

LAMPAS TERRIFICANS

MARIA PASSIONES COMPESCENS.



HAC VIA SILEBVNT.

ARGVMENTVM.

Ranas coaxantes qui vult compeſcere lampadem accenſam appendat, viſâ illâ conticeſcent. Quadrat Symbolum Deiparæ, ipſa invocata tumultuantes compeſcit paſiones.

DIS-

DISCVRSVS.

PAſsiones hominum ad amuſsim ranæ ſunt, & ranæ nimiùm importunæ. Nam hominem conturbant inconcinno ſono ſuo & orantem & ſtudiis incumbentem. Vis has compeſcere moleſtas nimiùm beſtiolas? Lampadem aſſume, lampadem lucentem & ardentem Virginem Deiparam, ubi illa affulſerit conticeſcent hæ ranulæ importunæ. Auſculta en aperio.

Evocatum Moyſen in montem beat Dominus terræ promiſsionis intuitu, ſed ingreſſu privat. Mirum quaſi irritat & irridet illum Deus monſtrans terram pulchram, & guſtare ejus dulcedinē intrando non permittens, & tamen Moyſes non indignatur, nota quòd de monte terra illa oſtenditur, & ideo diſcolæ paſsiones obmuteſcunt, compeſcuit enim illas mons, per quem Virgo Deipara ſignatur ſecundum S. Bernar. Ser. 3. in Salve Regina, ut innuatur quòd vbi illa adeſt ſilent paſsiones.

Deuter.34.

S.Bernard.

Daniel in captiuitate quando erat, cibos Regios abnuit manducare. Quomodo in illo non exurgit ferox gula viſis tam ſapidis obſoniis, quomodo non ſtimulat ad ſumendum, poterat enim

juſtam quaſi prætendere rationem captiuis dicti-
Daniel.6. tans licitos cibos quoſlibet. Habemus quòd Daniel orabat verſus urbem Hieroſolymitanam, illius ergo vrbis diſtantis licet intuitus, gulæ paſſionem compeſcebat. Nam Hieruſalem umbra fuit Deiparæ teſte Ruperto 7. de Div. Offi. 25.
Rupertus. Deipara domitrix paſsionum rebellium.

Iudic.22. Miſerant filii Iſraël Iudic. 22. ad Rubenitas legationem duriorem ob altare conſtructum in terra ſua, arguentes, & ecce mitiſsimè reſpondent Rubenitæ. Quid eſt hoc? quomodo non excandeſcunt, ſed velut perterriti reſpondēt humiliter, erant namque viri fortiſsimi, unde absq; ipſis Ioſue detrectabat pergere ad terram promiſsionis capiendam. Erexerant altare figuram Deiparæ.
S. Ambroſ. Nam altare Deiparam adumbrat juxta S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. & ideo compeſcit umbra illa lubricas paſsiones.

Geneſ. 32. Revertenti in patriam Iacob nuntiarunt ſervi Eſau occurrere cum quadringentis viris. Timet Iacob. Si timet quare non congregat ſervos ſuos, aciem non inſtruit ad Eſau reſiſtendum. Imò, vehementiùs admiror, quomodo non excandeſcit contra Eſau, nam in tali paſſu, quis furorem non conciperet contra hoſtem iniuſtiùs adventantem. Viderat antea ſcalam Iacob in itinere figuram Deiparæ

Deiparæ teſte Bernar. Serm. in Nativitate Beatæ Mariæ, & ideo memoria illius compeſcit paſſiones, efficitque vt conſulens bono fratris ſui humili & ſe potiùs coram illo quàm fremebundus educat & ordinet exercitum. Quàm ſilent ergo paſſiones in conſpectu Deiparæ! S.Bernard.

Fugiebat à facie Domini Propheta Ionas, ſed non effugit illum, cuius terra eſt & plenitudo ejus, nam ortâ ſubito tempeſtate in mare eiicitur. Expendite. Antea detrectabat Domino obedire prædicationem in Ninive demandanti, nunc autem ſubiicit ſe Domino duriora exigenti, dicit enim humiliter, tollite me & mittite in mare. Non exurgunt in illo paſſiones quæ antea exurgebant, quia mare vmbra eſt Deiparæ teſte S. Bonav. in ſpec. Virg. compeſcuit ranas ejus. Quàm ergo pacata mens eſt ubi tu ades ô Mare gratiarum Deipara! Ionæ 1. S.Bonav.

In arca tenebantur incluſa animalia iracunda, imò quæ implacabiles inter ſe retinent inimicitias, cur tamen non rixantur? Arca umbra Deiparæ juxta S.Bernard. in Serm. de B.M. compeſcebat illorum paſſiones. Igitur ſi vis eſſe pacatus cole Deiparam. S.Bernard.

In Elymæa regione, Adonidis, teſte Æliano, l. 12. cap. 23. Templum eſt, in quo feri leones man-

ſuetudinem præſeferunt, vnde & homines ſubintrantes velut ſalutatos adulando excipiũt. Quo pacto mãſuefacti fuerint hi leones ignoro. Quidquid ſit invenio ego Templum Dei vivi Virginé Deiparam. O homo dum velut leones tuæ paſſiones fremunt, dum te ſua feritate conturbant, adi Templum iſtud benedictum, commenda te Deiparæ, ipſa feros hos compeſcet leones, & velut agnellos reddet mitiſſimos.

Dum paſsiones conturbant hominem, triſtitiâ opprimitur Deipara, non ſolùm paſsiones nititur compeſcere, verùm etiam & hilaritatem inſtillare: ſit ergo Stella VI. Nomen ejus Vinum conditum; nam tale exhilarat, eſtque lætitiæ vehiculum.

VINVM CONDITVM VEL LÆTITIÆ VEHICVLVM.

MARIA EXHILARANS.



TVVS VISVS NOSTER EN RISVS.

ARGVMENTVM.

Multi flores v. g. *tulipani occidente Sole folia ſolent complicare, innuentes ſole abeunte & ſuam abire lætitiam: Oriente verò explicare, innuentes ad ejus exortum & ſuam exoriri lætitiam, nam lætitia à dilatando deſumitur; dum ergo flos conſtricta dilatat foliola lætitiam proteſtatur. Quadrat Deiparæ, hæc enim vbi advenerit advehit lætitiam.*

DISCVRSVS.

VEnerat ad Holofernem caſta Iudith, & ecce Holofernes inſtruit convivium ſeruis ſuis. Cur non ante, ſed poſtquam venit Iudith? Convivium hilaritatē deſignat, Iudith Deiparam, juxta S. Bonav. in Lau. B. V. Nequit adeſſe hilaritas hac abſente, venit Deipara & ſubitò exurgit hilaritas.

Iudith 12.

S.Bonav.

Ioan. 2.

Hæc eadem cauſa eſt cur etiam ad nuptias fuerit Virgo Deipara invitata, nam abſente illa non potuiſſet comparere in nuptiis illis hilaritas.

Cant. 8.

Sponſa in Canticis Canticorum dicitur in hortis habitare, vnde vox dilecti ad illam: Quæ habitas in hortis &c. Cur in hortis nō in palatio magnifico? Hortus ſymbolum eſt hilaritatis, hinc homines recreari cupientes ad hortos ſe conferunt. Ibi ergo ſponſæ, per quam Deiparam poſſumus aſſerere deſignatā. Nec Eccleſia in officiis Deiparæ hoc ſentit, ibi; inquam ſponſæ, habitaculū eſt defigendum, ubi hortus, ubi grata fundata eſt hilaritas

Ecclesia.

Templum illud magnificum non in alia terra extruitur niſi in melliflua terræ promiſsionis māſione. Cur? terra promiſsionis erat amœniſsima

lacte

lacte & melle exuberans, & ideo in illa templum collocandum. Templum namque illud figura erat Deiparæ teſte S. Bonav. in Lau. B. V. quæ vbi invenitur, invenitur amœnitas & hilaritas. Vnde & Ioannes exultat in vtero vocem Deiparæ excipiens matrem ſalutantis. Cur ad vocem ſolummodo perceptam tripudiat? Non ſolùm Deipara ipſa hilaritatem apportat, verùm etiam & vox ejus, imò quidquid ejus eſt, neſcio quam jucundam in ſpiritu parit lætitiam. S. Bonav.

Miſsi ad explorandam promiſsionis terram detulerunt botrum vini, cur non aliud attulerunt pignus ejus ſed botrum vini, nam poterant detuliſſe vel aurum, vel pomum inſolitum, vel aliud ſimile tam facilius ad portandum, quàm ad animos accendendos. Botrus vini hilaritatis eſt indicium, vinum namque exhilarat, terra promiſsionis Deiparæ juxta S. Aug. Ser. 100. de Temp. eſſe alicubi non ex alio faciliùs terra promiſsionis fluens lacte & melle, nempe Deipara, quàm ex hilaritate ex botro vini dignoſcitur. Hoc enim eſt quod primò offert ad ſe tendentibus, botrus vini hilaritas. *Num.* 13. S. Auguſt.

Veniens ad Noëmum Columba, ramum cum foliis virentibus apportavit, quare cum foliis virentibus? Virentia folia hilaritatem ſignifi- *Gen.* 8.

cant, primum quod apportat columba Deipara (per columbam namque deſignatur teſte Rupert. ſuper 4 Cantic.) eſt hilaritas. Ergo ſi vis hilaritate abundare, hilaritate proficua abundet in te cultus Deiparæ.

Rupertus.

Selymus Turcarum Imperator, teſte Iovio in vita Selymi, ſolebat edere ſemē quoddam Turcis notū, quod rerum ſeriarum memoriā adimit, ac per aliquot horas gignit lætitiam. Tale ſemen tu es ô Deipara Virgo! ô verè magna hilaritate redundet eſt neceſſe, cuius cordi vel ipſa memoria tui inſederit! Et non ſolùm per aliquot horas durat pia illa & ſalutaris lætitia, verùm ceſſat nunquam. Aſſevero enim hoc non eſſe poſsibile vt quoties tui homo recordetur, toties præ tripudio cor ejus non ſaliat. Reple ergo nos ſemper, reple ô Domina ſalutari hoc genimine, ut mens noſtra inter continuas mundi hujus ærumnas recreata ad ſufferendas illas cum hilaritate ſit vegeta.

Dum homo hilaritate perfunditur non dormitat hoſtis ejus, imò tunc præcipuè aggredi ipſū annititur. Debet ergo fortificari impenſiùs. Facit hoc Deipara, & ideo Stella VII. ſequatur, cui nomen dabimus Alumen, propter quam rationem vide hiſtoriam in fine diſcurſus repoſitam.

ALVMEN.

MARIA FORTIFICANS.



IN VANVM FRANGERE TENTAS.

ARGVMENTVM.

Ferreis laminibus obductas fores fruſtra gladio aggrederis, conans effringere, nam potiùs gladium fractum aſpicies quàm januas ſic munitas. Quadrat Deiparæ, cor enim quod oſtium eſt animæ (nam per illud ad animam vel Deus vel dæmon ingreditur) adeò fortificat, vt à nullo magno licèt hoſtium aſſultu vinci poſſit.

DISCVRSVS.

HVc timidi, huc fragiles adeſte, præſidium fortificans vobis indigito. Quod? Virginem Deiparam.

Apocal. 12. Mulierem in Apocal. per quam deſignatur Deipara, aſſerente S. Auguſt. in Pſalm. 142. vidit ſole ſanctus Ioannes amictam. Cur ſole? ſol fortificat debilia, debilis eſt argilla, illam ita fortificat ſol, ut lapidem duritie repræſentet. En cauſam cur amicta ſole Deipara, argilla argillæus homo eſt, diſcurrit ergo amicta ſole Deipara, vt quolibet in loco argillam hanc fortificet, ne tentationum cedat duro impetui.

Auguſt.

Eccl. 24. Cynamomo comparavit illam Spiritus ſanctus vt author eſt Richard. l. 12. ſicut Cynamomum & Balſamum aromatizans &c. Cur Cynamomo eſt ſimilis? Cynamomum contra corruptionem fortificat. Hinc in Arabia aves quædam dicuntur carnes habere incorruptibiles eò quòd veſcantur Cynamomo. Maxima corruptio eſt tentatio, vis contra illam roborari? Cynamomum ſume, Virginem Deiparam cole, ipſa te roborabit.

Richard.

Ioan. 2. Primum quod petiit Virgo à filio fuit Vinum in

in nuptiis. Quare petit?nam ſi pauper eſt nuptiarum apparator, vinum abundantiùs dedecet ut propinet, ſi dives indecens, ut divitis convivio provideat vinum pauper Chriſtus. Largiendo? Videte myſterium vinum fortificat cor,facitque intrepidum, hinc & imbecilli hauſto vino bellatores provocant ad certamen. Petit vinum igitur ut oſtendat ſe anniti corda noſtra roborare ut inſuperabilia permaneant à quovis terrore tentamenti.

Incluſus in arca cum animalibus juſtus Noë, inter quæ erant etiam iracunda & fera,ut tigrides, leones,urſi;attamen non reformidat cum illis intercludi. Vnde tam infractum cor ejus hauſit robur? Manebat in arca Noë,in illa,inquam,arca quæ erat typus Deiparæ, atteſtante, S.Bonav. in Laud. B. V. & ideo non mirum quia impavidum eſt cor ejus. Qui enim ſub umbra deliteſcit hujus arcæ animatæ iam cor ejus robore impavido eſt vallatum. S.Bonav.

Eruperant aliquot milites egregii ad aquam de Ciſterna Bethleem Davidi afferendam & feliciter attulerunt. Duo in hoc actu obſtupeſco: Primum, vnde tantum animi cōcipere potuerint, ut per hoſtes contenderent ad aquam illam adferendam? Alterum, quomodo à confertis hoſtibus 2.Reg. 23.

non oppreſſi? Quid obſecro illos adeò fortes reddiderat? Ciſterna Bethleem typus erat Deiparæ. Non ego id aſſero, aſſerit Method. Orat. de Hyp. Non mirum ergo illos impavidos & hoſtibus fortiores extitiſſe. Nam qui currit ad Virginem Deiparam, jam fortiſſimus & inſuperabilis efficitur, fortificat enim cultores ſuos Virgo Deipara.

Method.

Archelaus ſtrenuus Regis Mithridatis præfectus teſte Aulo Gell. noct. Attic. l. 15. cap. 1. oblinierat alumine turrim in Piræo. Res mira Silla nitebatur illam turrim deſtruere, ignem vaſtum ad vaſtandam admoverat & nihilominus vis edacis flammæ non valuit ipſam ſuperare. Strenuè fortificaverat ſtrenuus turrim iſtam Archelaus, ſed tu longè validiùs fortificas ſervos tuos ô Deipara. Admovet infernalis hoſtis dirum ignem ignivomæ concupiſcentiæ, adnititur illos dira flamma devorare, ſed ſi fortificans manus tua adfuerit, ô Virgo ſuperbenedicta, in vanum deſudabit edax ignis. Fatigabitur admovens flammam, laſſus hoſtis ſudore madidus vacillabit, intacti remanebunt ſervi tui forti ſubſidio tuo cõmuniti. Fortifica & me ô Deipara ſuperbenedicta, ut me quoque nequeant pravæ flammæ ſuperare.

Haud intermittit fremens hoſtis etiam ſic fortificatum

tificatum impugnare , ut ſaltem diutiùs impugnando affligat. Succurrit Deipara mala tandem cōſumens prementia. Nam quis ſufficeret ad illa diuturno tempore ſufferenda? Subſequatur igitur Stella VIII. Nomen ejus ſit Serenitas.

SERENITAS.

MARIA ADVERSA CONSVMENS.



VT FVLSERO MOESTA RECEDENT.

ARGVMENTVM.

Telæ madidæ humorem ſol ſi reſpicit ſiccàt & conſumit. Quadrat Deiparæ, nam ſi reſpexerit ob adverſa lachrymantem adverſa conſumendo ſiccat ſtillus ejus.

DIS-

DISCVRSVS.

IIn mundo ſicci vix oculi eſſe queunt, tum quia res quælibet caduca mundi eſt fumus, ac proinde reſpecta à quopiam ciet fletum, tum quia vallis eſt lachrymarum, in qua adverſa ſunt plurima, quæ durius dum premunt, cuilibet lachrymas exprimunt, ſed macte animo, invoca illam, quæ ſole amicta eſt, Deiparam, iſta lachrymas deſiccabit adverſa conſumendo. Rem aperio.

Vix cadere incipit crepuſculum noxq́ue adventare, exoritur in Cælo ſplendetq́ue Heſperus. Cur apparet Heſperus, imò cur apparet noctem antecedens? Deiparæ typus eſt Heſperus, nam idem eſt Heſperus quod aurora, aurora autem eſt typus Deiparæ juxta S. Bonav. in ſpec. B. V. nox adverſitatis, noli metuere noctem, adverſitatem, aderit Heſperus Deipara, quæ te tutabitur à mœrore. Imò auſculta, rem narro dulciorem, etiam conſumet noctem Deipara. Dic etenim mihi cur in fine noctis appareat aurora? Vt intelligas auroram finem nocti imponere, illamq́ue quaſi cōſumere. Sed cur noctem conſumit aurora? Mariæ typus aurora. Felix es ſi exoriatur in te hæc aurora, nam aurora finem imponet nocti tuæ, nocti adverſitati quæ te preſſit. S.Bonav.

Gen.25. Fugit Iacob à facie Eſau in Meſopotamiam & apparet illi noctu ſcala. Cur fugienti apparuit non verò in parentum domo commoranti? Premebatur Iacob fugiendo adverſitate duriore, nam dura ſanè adverſitas parentibus patriaque derelictâ in terram alienam commigrare, & ideo apparuit illi ſcala umbra Deiparæ ſecundum S. S.Bernard. Bernar. Serm. in Laudibus B. Virginis ut colligamus quia in adverſis aſſiſtere vult nobis pia Virgo, ad quid putas niſi ut conſumat adverſa prementia?

Daniel.6. Daniel in captivitate conſtitutus orabat frequenter facie converſa verſus Hieruſalem. Si ubique Deus eſt, cur tamen allaborat orando templũ reſpicere? Erat ſub adverſitatum duro prælo tunc Daniel, & ideo convertebat ſeſe ad Hieruſalem, typus enim erat Deiparæ aſſerente Ruper. 7. de Rupertus. Divin. offic. 25. ut admoneret adverſo tempore recurrendum eſſe ad Deiparam. Ad ipſam tunc oculi ſuſtollendi, ut conſumat mala torquentia, Et eventum aſpicite. Ita illa conſumpta eſt Danielis adverſitas, ut poſtmodũ in aula Regis principatu potiretur. En quàm egregiè conſumit res adverſas Deipara.

Gen.6. Injunxerat Dominus Noëmo arcam conſtructuro ut etiam & feneſtram conſtrueret. Cur

hac

hac de re ſpecialiter ipſum admonuit, nam utique non erat tam inſipiens ut abſque feneſtra arcam fabricaret? notate myſterium: Arca Eccleſia eſt, Maria feneſtra, ſic appellat illam Aug. Serm. 15. de Temp. Ergo injungitur feneſtra extruenda ut in illa adverſitatum horrida tempeſtate (ô verè horrida, nam horridum erat intueri amicos imò mundum aquis abſorberi) ut, inquam, haberet ſolatium feneſtram intuendo umbram Conſolatricis Deiparæ. Et ſanè per illam amabilem feneſtram, ramus revirentis olivæ velut finis & conſumptio adverſorum eſt allatus, ut homines doceantur per MARIAM ad nos devenire finem & conſumptionem malorum prementium. S. Auguſt.

Mœſtus Iſaac ob defunctam Matrem chariſſimam ad meditandum in agro perrexerat, & ecce tunc Rebecca ſponſa ejus adducitur. Cur Domino ita diſponente tunc Rebecca & non alia advenerat tempeſtate? Premebat tunc Iſaacum dura adverſitas, nam cernebat ſe orbatum chariſsimâ genitrice, & ideo tunc affulget Rebecca, erat enim imago Deiparæ, aſſerente mellifluo Bern. Serm. de B. V. ut agnoſcas mœrentibus affulgere Deiparam, & ita affulgere, ut omnis conſumatur adverſitas: Non fingo, ibidem ſubinfertur, dolo- Gen. 24. S. Bernard.

rem,

rem,qui ex morte matris acciderat, fuiſſe temperatum.

Lucæ 1. Omitto Deiparam cum feſtinatione ad Elizabeth cucurriſſe ut Ioãnem dura ab adverſitate originalis tyrannidis vindicaret. Et ſanè vindicavit, nam gratiam Ioannes, peccato effugato, eſt conſecutus

Immo Henrici Imperatoris Dux induſtrius obſeſſus à Giſelberto Lotharingiæ Duce teſte Vitichindo l.2. Geſt. Sax. irrumpentes Equites objectis alvearibus apum inhibuit, quarum aculeis in furorem verſi equi ſeſſores vel excuſſêre, vel ad pugnandum inutiles reddidêre. O homo, ô miles cum ærumnis depugnans continuis, audi meum conſilium. Cùm obſidet te aliqua adverſitas, cùm conatur te in nihilum redigere, accipe tunc benedictum alveare Virginem Deiparam, alveare illud, in quo apicula Cœleſtis IESVS CHRISTVS favos dulcedinum depoſuit, arripe alveare iſtud, oppone adverſitati te impetenti & videbis quàm ſuccumbet in momento conſumpta adverſitas.

DEVS tempèrat rerum vices, nunc ſerenum nunc nubilum permittit vitæ diem. Igitur inimicus hominem poſtquam conſpexerit adverſitate ſuperatâ aliquantulum reſpirare, periculis ipſum

nititur

nititur innectere: Sed adeſt Deipara, pericula enervat. Sequatur ergo aliud elogium ejus Stella IX. Nomen ipſi demus Vallum. Nam jacto vallo non imminet ab hoſte tantum periculum.



VALLVM VEL FORTALICIVM.

MARIA ENERVANS PERICVLA.



MAGNVM IVBET ALIVD ASTRVM.

ARGVMENTVM.

Ignis dum in ſua ſphæra commoratur, non devorat aërem, ſed fovet; (ſed apud eos vorat ipſum vnde ignis in materia aëris flamma nuncupatur.) Hoc ideo quia ut aſtruunt Philoſophi influentia cæleſtis benignior temperat & modificat rixas ejus, eò quòd ex ipſis grande Vniverſo damnum exurgeret. Cùm etenim ignis & vaſtior ſit & activior & aërem undequaque complectatur, ſine mora totum imò & poſtmodum terram abſumeret. Quadrat Deiparæ, attemperat enim & enervat pericula parvum mundum, nos homines, videlicet devorare dum cupiunt.

DIS-

DISCVRSVS.

MIſer homo undequaque circumſeptus eſt periculis & ad ſuperanda eſt debilis, circũſepſit illum caro, iterum & mundus, iterum & diabolus. Sed erige animum miſer homo ad vallum confugito, curre ad Deiparam, ipſa enervabit cuncta hæc pericula.

Accedere propiùs conabatur Moyſes ad rubum quem arſiſſe conſpexerat, remoratur Dominus & demandat calceamenta exuere. Quid? Calceamenta deponet, imò induat & alia, nam ad rubum greſſus dirigendi, & utique rubus tot ſpinis tot aculeis terram circumſtantem ſolet cõmunire, ac proinde qui præſumet denudato pede accedere ipſum proculdubio cruentabit. Noli ô Moyſes periculum iſtud metuere, accede nudo pede, nam flammifer rubus iſte typus eſt Virginis Deiparæ (Non ego id aſſero, aſſerit D. Gregor. Nyſſenus de vita Moyſis) ac proinde vel umbra Deiparæ omne illud enervabit periculum. Et profectò enervavit, nam nec minimum Moyſes conſecutus eſt læſionis detrimentum. *Exod. 3.* *D.Gregor.*

Surripiens Iacob benedictionem primogenito deſtinatam, in magnum ſeſe conjecerat pericu-

lum. Nam profectò grande erat periculum, ne detecta ſimulatione putaret pius parens voluiſſe ſibi illudere & præcipuè quia Iſaac magno in Eſau affectu ferebatur. Cur attamen non nocuit illi tam evidens periculum? Rebecca enervavit illud, per illam namque ſignatur Deipara, aſſerente Rich. l. 2. ubi enim hæc benigna mater curam alicujus ſuſceperit periculum neſcio quàm maximum reddet enervatum.

Richard.

Numer. 16. Inſurrexerat populus Iſraeliticus contra Moyſen & Aaron. Quid illi? Fugerunt ad tabernaculũ fœderis. Cur fugiunt illuc nonne potiùs ad aliũ munitum locum erat fugiendum? Magnum tunc videbant periculum ab illa effærata plebe imminere & ideo fugiunt ad tabernaculum. Erat enim figura Deiparæ Rich. l. 10. atteſtante. Illuc ergo ſe recipiunt, nam ſub patrocinio Deiparæ ſilet periculum.

Richard.

Numer. 16. Et videte. Poſtquam ſeſe receperunt illuc deſcendit nubes. Cur deſcendit nubes? Nubes ſignificat Deiparam. Ita Ambroſ. Exhor. ad vidu. Illa mittitur à Deo ut videamus quia ipſa enervat pericula.

Ionæ 2. Ejectus Ionas in mare à ceto devoratur & per tres dies in ventre belluæ deliteſcit. Quomodo poteſt vita ejus tamdiu ſubſiſtere, nam & calor ſtomachi

ſtomachi beſtiæ nititur illum concoquere, & etiamſi nõ niteretur, quomodo valet & intra aquas & adhuc in ventre grandis beſtiæ reſpirare. In magno fateor vita ejus erat periculo. Sed quia in mari aggrediuntur illum hæc pericula ideo vi caruerunt. Enervavit vim illorum Mare. Eſt etenim umbra Deiparæ, D. Bonaven. in Spec. B. V. ſentiente, ut fateamur, maxima licèt pericula per Deiparam enervari. S.Bonav.

Poſt obtentam, ne dicam ſuffuratam Patris benedictionem, dirigitur à Matre Rebecca Iacob in Meſopotamiam. Miror vehementiùs cur conjicit illum in periculum, nam mittere ſolum ſine famulorum cuſtodia (quos poterat certè ad eum deducendum deputare, erat enim Iſaaco multa familia) evidens erat periculum, nam poterat cogitare, Si audiat Eſau illum ſolum abiiſſe, perſequetur, aggredietur & facilè ſuperabit. Erat fateor periculum ſed enervatum, enervavit illud Rebecca, Deiparam enim ut author eſt S. Bernar. Serm. de B. V. adumbrabat. O verè omne periculum enervetur eſt neceſſe ubi tua, ô Benigna Mater, pia cura affulſerit *Gen.* 27. S.Bern.

Ioannes Ziſca Bohemorum Dux fortiſſimus, teſte Ænea Sylvio, cap. 40. Hiſt. Bohem. circumventus ab hoſtibus in loco aſpero, ubi non

niſi certamen pedeſtre committi poterat, juſsit mulieres peplis terram contegere, ſicque calcaria equitum implicarunt ut priùs à nequiculo oppreſſos ſe adverterent quàm pedes implicatos voluiſſent expedire. Grande periculum ſubverterunt pepli iſti. Sed hoc idem intueor te facere ô Virgo ſuperbenedicta, obviat atrox periculum ſervis tuis, nam aperit fauces ut illos deglutiat, ſed ades tu ſubitò, & protectionis tuæ expandens peplos, non ſolùm à periculo inſtante ipſos eliberas, verùm etiam in eodem periculo hoſtes implicatos procuras interire. Non deſine, obſecro, ô Virgo ſuperbenedicta & mihi objecta deſtruere pericula, expande vim robuſtæ protectionis tuæ contra illa, ut ſubdoli hoſtes cadant implicati, ego victor in Pſalmis canam dulciſsimam laudem tuam.

Non ſufficit homini ut pericula, in quibus eſt, enerventur, opus eſt ut etiam pacem, ſaltè per aliquod tempus obtineat. Facit hoc Deipara. Sit ergo Stella X. cujus titulus ſit Oleum. Quare autem in conceptu ſexto hujus Emblematis reperies.

OLEVM.

OLEVM.

MARIA PACIFICANS.



QVIA PACASTI FVRENTES.

ARGVMENTVM.

In rupe cincta mari nibil enaſcitur, nam fluctus marini omnia decutiunt, ſi tamen influentia aſtri alicujus pacatum mare contineret in rupe naſceretur aliquid & ſubſiſteret. Quadrat Deiparæ, illa enim pacificat furorem maris hujus, efficitque vt in pace conſtituti homines efforeſcant.

DIS-

DISCVRSVS.

FVrunt bella & tumultus varij inter homines oriuntur,nec mirum mores inter eos, linguæ & effectus diverſi. Quis pacabit illos? Deipara.

Gen.32. Luctabatur vir cum Iacobo longo tempore. Quid tandem? Dimitte, inquit, me jam aurora eſt. Quid eſt hoc, ideo luctam dictat finiendam quia aurora exoritur? Vbi aurora exoritur, aurea hora exoritur, lites omnes, omnes colluctationes evaneſcunt; auroram enim Deiparam ſignare teſtis Bernar.Serm.33.in Cant. Nec mirum, Mater enim pacifici furibunda componat bella eſt neceſſe, illa apparente pax apparet, bello ac jurgio diſparente. S.Bernard.

In ſtatu Paradiſi non erant anni viciſſitudines ſed ver perpetuum. Cur non erat ſerenitas & pluvia, æſtas & hyems, nam iſtarum viciſſitudinum pugna mutua magnum addit decorem univerſo. Non mirum hæc inibi non fuiſſe, paradiſus eliminat omne bellum. Et cur eliminat? Nam per illum deſignatur MARIA. Non mea ſententia eſt Seraphici Bonav. in Opuſculo cui titt. Laus B. V. ubi ergo aderit cæleſtis hic paradiſus, ibi bella & pugnæ nec per momentulum graſſabuntur. S.Bonav.

In

In cælo contrarii ſunt planetæ, nam alius eſt calidus, alius eſt frigidus, alius conatur mortem inducere, alius vitam conſervare. Cur igitur invicem non depugnant, ſi ſunt contrarii, ſed potiùs ſunt uniti & ab omni rixa elongati, hinc & ideo incorruptibiles eſſe aſſeruntur, quia in Cælo ſunt defixi. Res defixæ in cælo etiamſi mores habeant contrarios pacatæ ſunt, unitæ, à bello alienæ. Per cælum namque deſignatur Deipara, teſtis S. Germ. Conſt. in Pſal. 44. cujus munus eſt diſsidentes animos adunare peramanter. S. Germ. Conſtan.

Portæ Deipara comparatur non ſolùm à ſanctis Patribus, verùm etiã ab Eccleſia, cùm canit, Et porta lucis fulgida. Cur Portæ? Porta jurgantes pacificat, nam ſi duo in porta conveniant inimici, quamdiu ſunt in porta unus alterum aggredi non præſumit. Hinc in portis ſecuris applicata manui depingitur cùm inſcriptione appoſita. Hic pax. Ergo benè Deipara porta appellatur, ubi enim conſiſtit hæc porta præfulgida, pax conſiſtit omni rixa elongata. *Eccleſia.*

Eruperat furor Dei in populum Iſraeliticum ob murmur contra Moyſen. Quid Moyſes? jubet ut Aaron aſſumat incenſum & offerat. Quid? urgẽtiſsimũ malum debacchatur in populũ & ipſe nectit moras furorẽ Divinum mitigandi. Nam ſi *Num. 16.*

incenſum offeret prolixius, inſumet tempus indumentis Sacerdotalibus ſeſe exornando, & interim graſſans ignis plurimos devaſtabit, potiùs ergo jubeat, ut omiſſo incenſo in terrã ſeſe proiiciat, Dominum deprecando pro populo. Incen-
Richard. ſum Deiparam ſignificare Richard. l. 12. aſſerit. Igitur ad pacandum altiſsimum umbra Deiparæ erat aſſumenda, ut ipſa pacẽ adduceret, ipſa enim apparente, pax & tranquillitas ſubitò apparebit.

Oleo comparatur dulciſsima noſtra Deipara, ſic intelligit illud Cant. 1. S. Ambroſ. Cap. 13. In-
S. Ambroſ. ſtit. Virg. Cur? Dum marini fluctus furunt ſi oleum infuderis pacabuntur. Vnde ergo vide & exulta cur Deipara, oleo comparetur. Pacificat furibundos belli fluctus. Ergo ſi graſſantur bella pax exulat invocemus Deiparam, ut veniens componat belli fluctus.

Apiculæ ſi rixentur & depugnent pulverem vel modicum aſſumito & ſpargito, ad obiectum illũ conquieſcent, lite depoſitâ. Hanc igitur virtutem video & in te ô Virgo Deipara, rixantur homines, bella non ſolùm meditantur, verumetiam & manus jam conſervat. Varii varia exagitant ut pacatos componant diſsidentes, ſed in vanum: venies tu ô Virgo, ô Virgo quæ te pul-
verem

verem ob profundam humilitatem computaſti, venias, inquam, & ſubitò ad advẽtum tuum bella conquieſcent, pax optata adventans comparebit. Ergo cuncti qui cupiunt gratam pacem manus tollant ad Virginem Deiparam, ipſa ſi adfuerit, omnis rixa ad conſpectum ejus pulſa diffugiet.

Pace conſecutâ illa ſunt homini renovanda quæ minimè bellum deſtruxerant. Renovat Deipara. Sit ergo Stella XI. Nomen ejus Ver. quare ſit, explicatio Emblematis explicabit.

V E R.

MARIA RENOVANS VETVSTATES.



INNOVABIT NOVVS.

ARGVMENTVM.

Arbores dura in hyeme & deformes ſunt & ſqualidæ, ſed renovabuntur. Quando? Cùm venerit novus annus. Nam Vere apparente anni novi, & arborum ſplendor apparebit, ſplendor dico florum, foliorum & fructuum poſtmodum. Quadrat Deiparæ, quo illa advenerit ibi cuncta manebunt innovata.

DIS-

DISCURSUS.

ANnum novum Deiparam appello, nam attulit nobis ſolem novum CHRISTUM. Adfert & Ver novum, nam ſicut vernum tẽpus pulchram rebus depulsâ vetuſtate adfert novitatem, ſic & Virgo Deipara. Non mentior, attendito.

Quando omnis caro corruperat viam ſuam mũdumq́ue infecerat, ut illum DEUS depulsâ fœditate innovaret advocavit aquas diluvii. Quare nõ aliud aſſumit inſtrumentum ad mundum innovandum niſi aquas? Aqua Deiparam deſignat, ſic & ipſa atteſtatur. Ego ſapientia effudi flumina, ſic ſentit eximius cultor ejus Rich. l. 9. Ecce myſterium, aquas omnipotens aſſumit ad mundum innovandum, jam inſtruens parvum mundum hominem videlicet, ut ſi velit innovari Mariam annitatur advocare, ut hæc aqua puriſsima abluat prece ſua nauſeabundam quam contraxit fœditatem. Richard.

Deſtinato Moyſi ad populum educendum ex Ægypto, deſtinator Deus in rubo apparuit. Cur in rubo, an nõ decentiùs in ſolio ſublimato & micanti? Iam tuncinchoabat Deus collapſã Iudæorum renovare libertatem, & ideo in rubo ipſam Exod. 3.

exorditur, intimando Deiparam, (hæc enim
S.Bernard. per rubum, atteſtante S. Bernard. in Sermon. de B. V. ſignabatur) principium eſſe cujuſlibet vetuſtatis renovandæ.

In horto reſurrexit mortis inferniq́ue Triumphator, ut quid non potiùs in publico, ut ſtupendæ ſplendor reſurrectionis ejus & majeſtas à plurimis cerneretur. Reſurgens duo fecit, novum ſtatum reſurrectionis inchoavit, & corpus renovavit dotibus glorioſis. Ergo ideo in horto reſurrexit, nos admonens, ut ſi renovari percupimus, in horto conemur ſepeliri. In quo? Deipara hortus eſt. Hortum concluſum vocat illam Spiritus
S.Ambroſ. ſanctus in Cant. vocat & Ambroſ. 9. de Inſtitut. Virgin. In hoc horto cor tuum ſepelito, totum illud in cultu Deiparæ impendendo. O ſi vel daretur intueri quàm pulchrè in illa depoſiti renovantur. Solis jubar auricomum, tenebrarum in conſpectu illorum præſefert effigiem.

Ionæ 1. Diſpoſuit altiſsimus, ut fugiens Ionas in mare mitteretur. Cur in mare, nam ſi pœnam promeruit, in lutum, in barathrum detrudatur; ſorduerat tantiſper Ionas Divinam detrectans juſsionē, ſed reparator perbenignus vult illum renovare. Vbi iſtud auſpicatur, in mari, in umbra Deipa-
S.Bonav. ræ, ipſam enim deſignat mare, D. Bonav. in ſpec.

B. V.

B.V. atteſtante. Iam igitur jam cerne quàm competat Deiparæ renovare.

Horridus apparuit Iacob patri. Ecce, inquit, odor filii mei, ſicut odor agri pleni. Vnde nunc floridus, nam antea ſic non redolebat? induerat illum Rebecca veſtimentis Eſau. Sed propono quæſtionem, illa veſtimenta antea non redolebāt, quando Mater veſtit illis en redolent? Noli, noli admirari, Rebecca Deiparam deſignat. Ita Bern. in Serm. de B.V. Etiam fœdi Eſau hominis veſtimenta cùm in manu aſſumit Deipara, innovantur & redolent gratiſsimè. Si veſtes innovantur manu ejus quantò magis vita tua manebit innovata? *Gen. 27.* S.Bern.

Alphora, Alberto Magno de Animalib. l. 24. in Alphora atteſtante, ſi tabe conſumatur, extra aquas egreditur, & tunc cuncta caro ejus uſque ad caput ipſum & oculos dilabitur. Res miranda, ſi iterũ in aquam remittatur, & carne iterum inveſtitur, & longè eſt vivacior, & vitam acquirit diuturnam, cùm antea eſſet breviſsimæ. Admiraris? Te hic piſciculus repræſentat, ô homo, ſi cerneres, quàm ſubitò decor tuus diſpareat, ſimul atque extra aquam, extra protectionem Virginis Deiparæ egrederis, quidquid in te vel vitæ vel ſplendoris comparebat totum ſubitò dilabitur,

ſed

ſed felix es ſi iterum providentia Magni Dei te reponit in hac aqua ſalutari, profectò vetuſtas indecora diffugiet & omni ſqualore depoſito floridior juventa tua apparebit. O utinam Domine ſeneſcentem jam muudum in hac aqua reponas ſalutari. Profectò decor ejus priſcus effloreret.

Pace conſecutâ non ſolùm debet homo renovare quæ bellum abſumpſerat, verumetiam & in novitate vitæ ambulando opera ſua Deo conſecrare. Sed quia opera ejus ſunt inſuavia propter multas imperfectiones quæ ſolent ſe admiſcere, ergo indiget ut ab aliquo condiantur. Facit hoc Deipara. Sit ergo Stella XII. Titulus ejus Saccharum. Quare autem? Vide in Symboli hujus argumento.

SACCHARVM.

MARIA GRATIFICANS NOSTRA OPERA VILIORA.



SVPRA FERCVLVM.

ARGVMENTVM.

Evidens eſt cibum vilem ſi ſacchαro condiatur eſſe ſuaviſſimum. Quadrat Deiparæ, nam opera noſtra, quæ (juxta illud Auguſt. in Pſal. 127. Fidem noſtram & facta noſtra eſurit Dominus, paſcamus illum bene vivendo) cibus Dei ſunt, ita condit, ut inſipidum opus noſtrum ab illa dulcoratum guſtui Altiſſimi arrideat.

DISCVRSVS.

CVjuſlibet hominis opera neſcio quàm ſacroſancta ſunt inſipida juxta illud juſtitiæ noſtræ, ſicut pannus menſtruatæ: ſed adeſt quæ condiat illa Deipara. Rem aperio.

Gen.27. Coxerat hœdos Rebecca & ecce quàm ſapiāt Iſaaco, inde colligamus quòd ob illos in tantam proruperit benedictionem filio conferendā. Hœdina caro cùm ſit fœtidior, unde tantum ſaporem acquiſivit? in manus illos aſſumpſerat illa Rebecca, quæ teſte S. Bernar. Serm. de B. V. typus erat Deiparæ. Quàm felix ergo opus quod in manus aſſumit Deipara nō ſolùm imperfectionis fœtorem non halabit, verum etiam ſic ſapiet magno Deo, ut uberem ſubitò benedictionem pro illo largiatur.

S. Bernard.

Cant.1. Mirum lego in Canticis, modò appellavit dilectum ſpōſa faſciculum myrrhæ, pòſt ſubitò appellat ipſum botrum vini & adhuc in vineis Engaddi. Vnde ſubita illa mutatio? ex faſciculo myrrhæ peramarę botrus vini evaſit dulciſsimi? Condivit faſciculum myrrhæ ſponſa, & ideo non mirum etiam rem amaram tranſire in cibum ſuaviſſimum. Sæpe namque facta noſtra ob admixtas imper-

imperfectiones velut myrrha ſunt amara, ſed tradamus illa in manus ſponſæ Deiparæ (ejus enim typus fuit, teſte Eccleſia in offic. Deip.) & ſubitò ſuaviſsimi Deo botri præbebũt edulium, ſic condiet illa dulcis Virgo. *Eccleſia.*

Petebat Eliſæus duplicem ſpiritum & non obtinuit ab Elia. Sed tantùm dicit illi, Si videris me &c. Poſteaquam verò Iordanem pertranſiit non legimus quòd expreſsè petierit, ſolummodo enim clamitabat, Pater mi, Pater mi &c. & non ſolùm expetitum ſpiritum duplicem, verùm etiam & pallium eſt conſecutus, unde tam ſapidus evaſit tunc clamor ejus, ut plus ab Elia acciperet quàm petivit. Iordanis per quem tranſierat dulcoravit vocem ejus. Per Iordanem ſignificatur Deipara. Hæc eſt mens S. Hieronymi Epiſt. ad Fabiol. Sic dulce, ſic ſapidum eſt opus noſtrum quòd adſtante hoc Iordane efficimus, ut Dominus Deus, hunc enim Elias præfigurat, nam Elias interpretatur Dominus Deus, ut Dominus, inquam, plura perſolvendo illud largiatur quàm petamus. *4.Reg.2.* *S. Hieron*

Excepti convivio ab Abraham tres viri ad Sodomam ſubvertendam gradientes, ſecretum viæ ſuæ ipſi aperiunt. Sed poſt exhibitum convivium. Quare non ante convivium? Provocati convi- *Gen.18.*

vio ſapido id fecerunt. Et unde ſapiebat illud cõvivium? nam res viles, res ordinariæ in ipſo appoſitæ. Viles fateor, ſed ſapidæ, ſed conditæ, manus præparantis Saræ ipſas dulcorarunt. Sara Deiparæ typus eſt, ſic S. Bonav. in ſpeculo B. V. felix cibus, felix opus quod in manus ſuas aſſumit Deipara, dulcorabunt illud dulces manus ejus.

S.Bonav.

3.*Reg* 17. Miſſus Elias ad viduam, petit ut ex farinula faciat illi ſubcinericium panem parvulum. Cùm verba ejus examino, invenio valde ſapuiſſe Eliæ illam farinulam. Hoc colligo ex verbis Prophetæ delicatis utpote diminutivis, quibus ipſam alloquitur, nam non dicit, fac de farina, ſed de farinula; non dicit panem parvum, ſed parvulum; unde obſecro tam ſapida evaſit farinula? Vidua illa Deiparæ typus fuit. Aſſeverat Richard. de S. Lauren. l. 6. Non mirum ergo farinam extitiſſe ſapidulam, quidquid enim aſſumpſerit in manum Deipara, jam ſapiat Deo, per Eliam (utpote qui interpretatur Dominus Deus) deſignato, eſt neceſſe.

Richard.

In Regno Cocincinal nidus quidam mirabilis invenitur, quo quicumque cibus condiatur guſtum oblectabit. Hunc homines ſummâ curâ ſtudent colligere. Tui typum nidum hunc ſi di-


xero

xero non fallar, ô Virgo ſuperbenedicta, ô vere nidus præfulgidus extitiſti, in te namque delituit aquila generoſa CHRISTVS verus Deus. O verè nidus es tu mirabilis, nidus ſaccharo & nectare jucundior, gratiam hanc namque ab altiſſimo accepiſti, ut opera noſtra bona, ſed ob imperfectiones inſuavia, reddas gratiſsima. Nec mirum, tuis enim precibus ſuaviſsimis, tuis meritis Deo gratiſsimis condis illa. Et quid tam ſapido condimento inveniri poteſt acceptius? Condi ergo ô Virgo, condi ô cæleſte condimentum, noſtras actiones, & effice, ut quæ amaræ, ſunt & inſuaves tuis manibus dulcoratæ, divinæ ſapiant Majeſtati.

Ideo miſer homo litat opera ſua ſummo Deo ut valeat ſurſum ad profectionem nempè aſcendere. Sed quoniam aſcenſus eſt difficilis indiget elevante. Elevat Deipara, ſit ergo Stella XIII. Nomen illi Currus igneus, nam hic raptum Eliam ſurſum elevavit.

CVRRVS IGNEVS.

MARIA SVRSVM ELEVANS.



HVC VENIENS IBIT IN ALTVM.

ARGVMENTVM.

Aqua cùm gravis ſit ſurſum aſcendere non poteſt, verùm cùm defluit in labrum exilit altiſsimè: Quadrat Deiparæ, qui ad illam devenerit, levabitur altiſsimè.

DIS-

DISCVRSVS.

OMnes velut aquæ dilabimur, ſed deorſum, ſurſum aſcendere non permittunt: Hinc illud: Terrena inhabitatio deprimit ſenſum. Indigito remedium, ô labilis aqua, ô Homo defluxure. Accurrito ad Deiparam, ad labrum vitæ, non advertes, & ecce te conſpicies ſublimatum.

Pulcherrima Deiparæ pulchritudo Lunæ cõparatur: Pulchra, inquit, ut Luna. Cur Lunæ eſt ſimilis Deipara, nam utique & fulgido ſole eſt pulchrior. Septies per diem potens Luna mare levat ſurſum: Hinc Philoſophi fluxum & refluxum ejus lunæ attribuunt. Iam ſuggeſsi rationem cur lunæ comparatur. Homo fluctivagum mare eſt inquietum, turbulentum, ventis tentandum expoſitum Craſſa, gravis, ponderoſa eſt aqua maris hujus, cor nimirum. Sed macte animo Luna eſt Deipara, non credis? Crede D. Bonav. in ſpec. B. V. Sis igitur ô aqua in mari, maneas in Maria, & levabit te luna plena Maria gratiis pleniſsima. *Cant. 6.*

Suſcipiens arca animalia tempore diluvii depoſuit illa in monte, Requievit arca ſuper montes Armeniæ, *Gen. 8.*

Armeniæ. Cur in monte? qui manet in Virgine non in imis ſed in ſublimibus reponetur. Non enim eſt poſsibile, ut à Deipara ab arca animata
S.Bern. (ejus enim arca typus fuit teſte D. Bern. in Serm. de B.V.) ſuſceptus ſyderibus ipſis non ſit ſublimior. Et ſanè quàm modo ſuauiſsimo arca illa animalia ſublimavit, certè ipsa advertere nequiuerunt quando & quomodo ſupra montes ipſa depoſuit. Nō etenim ſolùm ſublimare Virgo manentes in ſe annititur, verùm etiam modo ſuaviſſimo ut ipſi non intelligant quâ ratione in ſummo conſederunt. Benedicta arca tam proficua. Rori comparatur Deipara, de illa enim poſſumus accipere illud: Ego ros & Iſraël germinabit.
Oſea 14. Oſeæ 14. Hoc eodem nomine inſignivit illam S.
S.Germ. Conſt. Germ. Conſt. in Encom. Deiparæ. Quare rorem menſe Majo, ſi teſtæ ovi incluſeris, levata à radiis ſolis ibit ſurſum. En myſterium, Homo velut ovi teſta, imò ipſâ teſtâ fragilior, ſed ſi in te, ô teſta, Ros cæleſtis Deipara illabatur, ſubitò ſol juſtitiæ in gratiam roris ſurſum abripiet: Ergo moneo tam utilem rorem ſtudeas acquirere. Nec dixeris quomodo? Recondidit cor tuum in ſe cultum Deiparę, jam incluſit rorem iſtum.

Gen, 1. Volatilia pennata ex mari Deus produxerat dixit enim: Producant aquæ reptile animę viventis &

tis & volatile. Quare non ex terra? Volebat omnipotens ſurſum aviculas volitare, & ideo ex mari producuntur, ut mare velut mater imprimeret illis volandi facultatem. Iam ſcis Deiparam per mare deſignari, D. Bonav. in ſpec. B.V. atteſtāte. S. Bonav.
Ergo hinc collige omnes qui in altum evolare deſiderant mare, Mariam, pro matre recognoſcant eſt neceſſe, horum enim ſi Mater extiterit pennas volatiles illis providebit.

Feneſtra cæli dicitur Deipara: Cur? In quibuſdam urbibus Italiæ naves oneratæ tali arte elevantur. Eſt feneſtra ſive janua, aperitur illa, & cùm receperit occluditur, aperitur poſtmodum & alia per quam aqua illabatur, & quoniam prior illa janua non permittit aquam elabi illabentem, creſcit aqua & dum creſcit ſenſim navis elevatur dum & aqua elevatur. En myſteriũ cur feneſtræ & januæ cæli comparetur Virgo Deipara. Cùm vult omnipotens aliquem in ſublime elevare, aquam cæleſtium gratiarum per Virginem Deiparam velut per feneſtram demittit, & quoniam hæc feneſtra aquam non permittit elabi influentem, hinc fit ut gravatus homo qui antea ob pondus nequibat ſurſum aſcendere, beneficio aquæ per feneſtram hanc defluentis ſurſum uſque ad conſpectum altiſſimi idque modo ſuavi elevetur.

Sed admoneo,ô navis ponderoſa cupis elevari, intra hanc januam te recipe, nam cæleſtis aqua per ipſam ſolet defluere,ac proinde naves intra ipſam latitantes ſuſtollere.

Miſſus à Berengario ad Conſtantinum Imperatorem Conſtantinopolim Luitprandus Ticinenſis Diaconus, prout ipſe annotavit Anno 950. Vidit ſolium ejus ita fabrefactum ut ſubitò in altum Imperatorem ſuſtolleret, cùm enim prædictus Luitprandus ad Imperatorem deveniſſet ſedentem in Solio in terra collocato conſpexit. Vix paululum pronus Imperatorẽ adoravit, cervice elevata, ecce videt Imperatoris ſubſelliũ uſque ad laquearia unà cum Imperatore elevatum. Qua ratione hoc fuerit adinventum ſe ignorare profitetur. Tu ſolium tale es ô Deipara Virgo. Abjectus & ſordidus miſer homo terrenis adhærendo in imo repoſitus modo cernebatur, vix humi ſedere videtur adhærens terrenis, ſub tua, ô ſolium ſummi Regis, cura ponit ipſum magnus Deus,& ſubito elevatum in ſumma ſuſpicimus, ita ut mirabundus orbis obſtupeſcat cernens illum qui non pridem humi repebat jam mente inter ſydereas cæli ſedes habitare. Suſcipe & me, ô Virgo ſuperbenedicta, & eleva cor meum ut ibi fixum ſit ubi tu & filius tuus verum meum gaudium commanetis.

In

In altum ſublimato contemplationi frequenter eſt vacandum & non ſolùm pro ſe, verùm etiam & aliis precibus efficaciter proſpicere. Confert vim Orationibus Deipara, ſit ergo Stella XIV. Appellemus illam Referendariam, ideo, quia ut efficaces ſint noſtræ preces per Deiparam, tanquam per univerſalem Referendariam ſunt tranſmittendæ.

REFERENDARIA.

MARIA ORATIONES DEO DEFERENS.



PORRIGE VT PORRIGAM.

ARGVMENTVM.

Quadrat hoc Symbolum Deiparæ, nam continuò demittit manum ſuam nos excitans ut per ipſam, Altiſsimo noſtras preces tranſmittamus, ſcit etenim quàm libenter de manu ſua illas accipiat.

DISCVRSVS.

PReces fundimus frequenter & prompta Dei miſericordia in nos non effunditur: Nec mirum, qui enim nos puſilli ut audiat Dominus inconcinnas preces noſtras? Sed do conſilium, vis ut audiantur preces tuæ? En demittit manum Referendaria cunčti orbis Deipara, illi porrigito preces tuas, ipſa ferat & deferat in conſpectum magni Regis: Elevabis in nebula vocem tuam & impetus aquarum operiet te, ſcis quid dictum, ſed age tantiſper oſtendamus.

Cùm intrabat in ſancta ſanctorum ſummus Sacerdos deprecari pro populo priùs fumum incenſi præmittebat. Quam ob cauſam? Incenſum Deiparam deſignat ſic Richar. l. 12. Ergo homo antequam incipias preces tuas coram Deo effundere ſit incenſum, advoca Deiparam, ut hæc mediatrix ſimulque & Referendaria cunctis propitia gratas validaſque coram Deo offerendo efficiat. Levit. 16. Richard.

Daniel ad Orationem acceſſurus feneſtras aperiebat: Ad quid præmittuntur hæ ceremoniæ? Feneſtram aperiebat quaſi per feneſtram ſuas preces conaretur ad Deum tranſmittere. Per Dan. 6.

feneſtram enim Deipara ſignatur, ſic Auguſtus

S. Auguſt. Auguſtin. Serm. 15. de Tempore. Ergo & per feneſtram hanc benedictam poſtulata tua tranſmittito, ſic etenim grata & valida fuiſſe deprehendes.

Matth. 26. Oraturus Chriſtus ivit in montem Oliveti. Quare non aliò? Orandi nobis formulam præſcribebat, ſi volumus Orationem noſtram fore efficacem montem priùs Oliveti, Deiparam,

Richard. hanc enim ut author eſt Richard. l. 8. deſignat, adeamus & tunc preces noſtræ erunt efficaces.

Nec illud caret myſterio quòd affectuoſius exorantes oculos in Cælum ſolent elevare. Quid igitur in hoc myſterii? an in cælo ſolùm habitare Deum æſtimamus. Quidem ubique Deum intimum eſſe profitemur, ac proinde non ideo lumina in cælum attollimus, eſt alia cauſa cur Dominus hunc modum hominibus indiderit. Quę? Cęlum Deiparæ typus eſt, aſſerente S. Germ. Conſt.

S. German. Conſtan. in Pſalm. 44. ideo ergo hunc inſtinctum impreſſit Altiſsimus, ut oſtenderet recurrendũ ad Deiparam, dum oramus, ut quoniam de noſtrarum dignitate precum diffidimus in Cęlo in Maria ſpem habeamus. Nec fallemur; gratas enim coram Deo efficiet.

Ioan. 19. Patienti in Cruce Salvatori aſtabat Mater ejus, & corde

& corde gemebundo ſpectabat dirum illud ſupplicium. Cur non prohibuit CHRISTVS cernens dolorem graviſsimum graviſsimè cor Virginis lancinantem? Et præcipuè cùm illam ſummè diligeret, nos autem ſi quempiam diligamus ab omnibus ipſum occaſionibus luctus & triſtitiæ abſtrahimus. Pro toto tūc genere CHRISTVS ſupplicabat, & ideo vult precum Referendariam aſſiſtere, nos inſtruens, ut quoties ſatagimus pro aliquo ſupplicare vel pro nobis, nunquam hoc facere præſumamus niſi adſit Virgo aſtrifera, ſic etenim gratæ, amabiles Deo & Angelis erunt preces noſtræ.

Omitto quòd ſacrificia ſine altari quod erat umbra Virginis teſte Method. Orat. ad Hypop. Method. non offerebantur, per quod innuitur Orationes noſtras per Deiparam eſſe tranſmittendas ut ſint efficaces.

Obſeſſus Mutinæ D. Brutus teſte Plinio, l. 10. cap. 37. per Columbas epiſtolas ad Conſulum Caſtra dirigebat. Quid aliud ô homo facis fundens preces niſi epiſtolas ad Deum tranſmittis præpotentem ex miſera obſidione hujus exilii. Sed ô homo ſi appetis haſce Epiſtolas ſecurè ad Deum citoque pertingere, habes proviſam à Dei bonitate columbam Virginem Deiparam, huic

amabili

amabili Columbæ cõmitte epiſtolas, ipſa tabellarii munere perſungatur. Mihi crede in momento coram Altiſsimo locabuntur. Imò benedicta hæc columba Divinam urgebit pietatem, ut annuat preci tuæ & tranſmittat in hac periculoſa obſidione ſubſidium.

Non ſolùm procurat Deipara Orationes deferendo beneficia Divina iuſtis impetrare; verùm etiam & illis qui nequaquam colunt ipſam. Sit ergo Stella XV. Nomen ejus ſit Templum. Quare autem? Primus hujus Symboli conceptus aperiet.

TEMPLVM.

MARIA INGRATIS ETIAM BENEFACIENS.



Joan. Thomas delin. A. Loemans ſculp.

NON RESPICIS A QVO ACCIPIS.

ARGVMENTVM.

Si aliquod animal eſt ingratum certè porcus, nam alia animalia, os ad illum ſuſtollunt à quo cibum accipiunt. Porco quercus glandes dimittit in copia & nequaquam quercum dignatur intueri. Quadrat Deiparæ, ingrati ſunt plurimi quos benigna Virgo paſcat, licèt nunquam attollant ora ſua ad gratias ipſi referendas.

DISCVRSVS.

NVnc colligo ô Deipara, Domina mea dulciſsima, quia nimis miſericors eſt cor tuum: Colligo. Nam video te etiam ingratis beneficia multa elargiri, unde video?

Iſaiæ 45. Terræ video comparari Deiparam à Propheta. Aperiatur, inquit, terra & germinet Salvatorẽ. Indignor rei tam viliſsimæ Dominam meam imò Cæli & terræ comparari, ſed retracto, imò gratias ipſi ago. Cur? Terra ingratis benefacit, nam multis deſpectibus ipſam multi afficiunt, conculcando, arando, conſpuendo, & tamen ſe terra eviſcerat, ad illos fovendos, ſuſtentandos. Ergo bene ô Propheta terræ Deiparam noſtram adaptaſti; nam & ingratulis beneficia elargitur copioſa.

Hæc eadem cauſa cur templum appelletur. Templa multi inhonorant, oculis impudicis garrulitate, deſidia, tamen templum complectitur nec eiicit veniẽtes, imò & catellos ipſorum ſuſcipiens! imò omnis oblitum injuriæ gratis aures illorum demulcet pſalmodiis, Verbo Dei, ad aliaque plurima læti hilarique vultu ſe effundit exhibenda. Cùm faciat idem & noſtra Deipara jure, jure templum appellatur.

Rogata ab Eliezer Rebecca ut potũ aquæ tribueret, non ſolùm ipſi, verùm etiam offert & camelis. Quòd ipſi famulisque ejus obtulerit non admiror, humanitas id dictabat, ſed quòd ſe offerat ad camelis quoque propinnandam hoc admiror. Sed myſterium expendite. Typus ingrati eſt Camelus, nam aqua ſitim ejus refrigerat, ipſe immemor, miſcet illam, turbat, & ex pellucida reddit turbulentam. Iam capitis Myſterium. Deiparam Rebecca ſignificat, ſic Richard. l. 2. atteſtatur, Non ſolùm hominibus Deipara, id eſt gratis humanitatis conteſtatione conſpicuis beneficia elargitur, verùm etiam & Camelis ingratis humanitate deſtitutis. Quàm bona ergo &c. Deipara, deauranda eſſet tam pia Matris Dei benignitas. *Gen. 24.* Richard.

Non ſemel ſed toties per ſolem in ſcriptura deſignatur Virgo Deipara. Cur? Sol ingratis benefacit, Planetæ extermināt evertuntque cœpta ſolis, nam cœperat fertilitatem ſol alicubi inducere, planetæ malignante influxu diſſiparunt, & loco ubertatis effecerunt, ut fieret contra mentem ſolis ſterilitas, & tamen ſol velut injuriam diſsimulans planetas illuminat & exornat. Rectè ergo per illum Deipara deſignatur, verè enim verè effuſa eſt ad ingratis beneficia impendenda.

Ioſuæ 22.

Spreverunt Rubenitæ terræ promiſsionis ubertatem & erigunt altare in terra ſua Ioſue 22.

S. Auguſt. Method.

Per terram promiſsionis teſte Auguſt. Serm. 100. de Temp. & per altare juxta Method. orat. ad Hyp. intelligitur Deipara. Si ſpreverunt Deiparam, terram promiſsionis, typum ejus contemnendo, quare manet apud illos Deipara, nam manet altare figura Deiparæ? Collēge, ô homo, & vel nunc tandem recognoſce quàm bona ſit Deipara, quomodoq́ue etiam inter illos non reſpuat habitare qui eam contempſerunt. Et ad quid putas manſionem figit inter illos, niſi ut beneficia effundat copioſa? Benedicta ſit verùm ac iterum & millies benedicta tam bona Cælorum Imperatrix.

Perſequente pueros Herodis rabioſa feritate fugit Deipara, cum puero IESV in Ægyptum. Quare in Ægyptum, vel non poterat Hieroſolymis puerum occultare? Ingrati exiſtebant Ægyptii, nam abavos atavosq́ue illorum Ioſeph tēpore famis graviſsimæ à morte ſervaverat, ipſi verò ſucceſſores ſtirpis ejus, dura opprimebant ſervitute. Hæc ratio cur Deipara portat puerulū in Ægyptum, ut oſtendat ſuum ingenium & ingratis beneficia ſummè elargiri. Et ſanè quantū Ægyptiis beneficium attulerit IESVM adferendo, tot

tot ſanctorum millia monachorum inibi morantium poſtmodum declararunt.

Alexander Severus, ut refert Bererlinet in Theatro Verbo Clementia, Ovinium Camillum poſt reſcita rebellionis ejus meditata molimina adducens in ſenatum atque ob ſceleris tanti factum trepidantem conſortem Imperii appellavit. Magna fuit Imperatoris hujus benignitas dum tanto hoſti ſuo tantum beneficium loco exquiſiti quo fuerat dignus ſupplicii impenderit. Sed tua ô Virgo Deipara longè mirabilior eſt benignitas. Peccator inſurgit contra tuum honorem, imò & filium tuum patratis impugnat ſceleribus, ſervos clienteſque tuos frequenter perſequitur, violat feſta tua, frangit inſtituta in honoré tuum jejunia, & tamen tu oblita tot enormium deſpectuum impetras gratiam, conariſque dummodo ipſe velit extollere ipſum uſque ad filii Dei adoptivi dignitatem. Benedicta ſis ô Virgo pro tanta pietate.

Primum quod iſta Referendaria procurat tam juſtis quàm injuſtis, tam gratis quàm ingratis apud Deum eſt flamma; nam & eos qui frigidi ſunt accendere allaborat, & eos qui ardent ſed modicè magis inflammare. Sit ergo Stella XVI. Nomen ejus Focus vel ignitabulum.

FOCVS VEL IGNITABVLVM CÆLESTE.

MARIA INFLAMMANS.



SVSCITO TV SVSCIPE.

ARGVMENTVM.

Ignem ſuper ignitabulum homo ideo exſuſcitat ut in illo reſidens materia ignem concipiat. Quod verò non ſufflāmetur aliquando hoc provenit ex defectu materiæ, eo, quòd ſit humidior non ſuſcitantis. Quadrat Deiparæ, ſuis namque precibus continuis ignem in cordibus noſtris ſuſcitare allaborat. Omnes hujus ignis vellet eſſe participes, ſed in multis humores paſſionum pravarum non permittunt.

DIS-

DISCVRSVS.

ADſint frigidi, adſint, cadit ignis de cælo ut inflammet univerſos dummodo ipſi velint. Noctu cadit, interdiu cadit, in Polonia cadit, in Italia, in Germania ubiq; dummodo velint ipſum acceptare. Quis illum exſuſcitat? Virgo Deipara, Domina noſtra dulciſſima. Oculis exhibeo.

Inſtante extremo Iudicii die & pravitate Antichriſti debacchante, accurrent de paradiſo Enoch & Elias. Quare tunc emittet illos paradiſus? Paradiſus Deiparam ſignificat. Hæc eſt ſeraphici Bonav. in Lau. B. V. ſententia. Benè, ſed obſecro, cur illos tunc emittet umbra Deiparæ? S.Bonav. Refrigeſcet tunc charitas, quia abundabit iniquitas, & ideo ut mundus obrigeſcens inflammetur paradiſus incolas ad eum accedendum expediet, ut hinc documentum habeamus Deiparam ut accendat eſſe ſolicitam. Hinc infero, qui mũdum inflammare appetitis in paradiſo in Maria figite manſionem, ipſa ignem in vobis exſuſcitet, quo poſtmodum ignire mundum rigeſcentem valeatis.

Iam vitæ Moyſis curriculum abrumpere Dominus ſtatuerat, ſed antequam exequatur, jubet *Deuter.32.*

ipſum

ipſum in montem aſcendere. Quid? vel pius in alio loco præter montem mori non poterit ſeniculus! ſervos intimos ſolet Deus in morte ſpecialiùs inflammare, ut nimirum prorumpant in ardentiores flammas charitatis. Iam palpamus myſterium. Cupiebat Moyſen moribundum ferventiùs exarſiſſe, ergo & in montem educit. Mós
S.Bernard. enim typus eſt Deiparæ, ſic S. Bern. Ser. 3. in Sal. Reg. qui autem eſt ſub umbra Deiparæ jam ardeat impenſius eſt neceſſe. O Virgo, ô Mons magni Dei fac gratiam ut frigida anima mea in tuo decedat incolatu, ac in tuo conſpectu corporis deponat exuvias, nam profectò magnam magni Dei flammam te ſupplicante concipiet.

Ioſue 3. Poſt obtentum principatum Ioſue prima vice movens caſtra ad terram promiſsionis capiendã populum adhortatur ut visâ arcâ conſurgat & ſubſequatur. Ad quid monet ut videant arcam priùs, tandem ſubſequantur? Volebat animos ad occupandam ardentiùs terram promiſsionis accendere, & ideo jubet arcam intueri, quaſi flammã eſſent ea visâ concepturi. Et meritò. Erat
S.Bonav. enim arca illa typus Deiparæ teſte S. Bonav. in ſpec. B. V. Deiparæ, inquam, quæ ignibus Divinis accendit vel intuentes.

Iſaiæ 6. Quando conquerebatur Iſaias dicens vir pollutus

pollutus labiis ego ſum, tulit Angelus calculum ignitum de altari & tetigit os ejus. Quare de altari & non aliunde hunc calculum ignitum acceperat? Imò quomodo & unde calculus ille ignitus eſt manens in altari? Altare Deiparam ſignificat, ſic appellat illam Method. Orat. ad Hyp. Method.
Iam igitur non admiror altare calculum ignivisſe, ſemper enim vaſta flamma charitatis ardet in Virgine Deipara, ac proinde qui altari huic fuerit appoſitus ignietur & alios igniet fortiſsimè. Hæc eadem cauſa eſt cur calculo accepto de altari os Prophetæ attingitur. Placuerat enim Deo ut affectuoſè prophetaret. (Lege ejus prophetias & fatebere) & ideo ut os ejus flammam conciperet, de altari accepto calculo inflammatur, ut tandem oſtendatur Deiparæ eſſe proprium inflammare. O ſi & me dignaretur altare hoc accendere, non ita tepidè ſcriberem præſens opuſculum.

Eduxerat animalia ex arca Noë, ſed poſtmodum illa Domino immolavit. Mirum quare animalia non fugiunt, nam ſolent animalia mortem præſentire, & utique poterant bene effugere, nam educta jam erant ex arca veluti è cavea. Non fugiunt, nam manſerunt in arca quæ figurat Deiparam, teſte Eſychio Serm. 2. de S. Deip. & ideo libenter ſe offerunt quaſi ab arca inflammata ad *Gen. 8.* Eſychius.

 ſacrifi-

ſacrificium Deo vero. Quàm mirabilis Deipara, cujus umbra etiam bruta ignit animalia.

Narſes volens Longobardos, ut refert Cauſinus Parab. Hiſt. l. 10. 64. ad invadendam Italiam pellicere, miſit illis poma lectiſsima, quorum ſpecie inflammati Longobardi in Italiam irruerunt. De veritate iſtius Hiſtoriæ aliud cenſet Baronius. Fuerítne iſtud an nō fuerit non curo. Hoc auſculta: Quando Deus omnipotens vult ut invadamus cæleſtem paradiſum illum quem violenti tantum rapiunt, te utitur, ô Virgo Deipara, te mittit & exhibet nobis velut præcipuum illius amœniſsimi paradiſi pomum. Et profectò ſic potens es ad animos noſtros inflammandos ut ſubitò magno impetu irruamus ad illam feliciſsimam regionem capeſſendam. Vtinam ô Deipara, Virgo & ad me mitti dignareris profectò non oſcitarem in aggredienda patria tàm ſuaviſsima.

Poſt inflammationem procurat & exornare. Sit ergo Stella XVII. Nomen ejus ſit Monile.

MONI-

MONILE.

MARIA EXORNANS.



QVOS FORMAS, ORNAS.

ARGVMENTVM.

Sol vaporem dum extrahit attollendo in nubem efformat, quam formatam poſtmodum radiis reſpiciens ornat pulcherrimis coloribus. Quadrat Deiparæ: Vapor homo, Sol Deipara, extrahit aliquos homines ex aquis concupiſcentiarum, format illos in modum nubis imbriferæ, & ſtatim exornat variis virtutum coloribus.

DISCVRSVS.

IN Mundo quidquid eſt immundum fœdum eſt. Nec mirum, mundus enim ipſe per antitheſim dicitur mundus quaſi minimè mundus, quaſi clariùs immundus: Si ergo mundus eſt immundus omne quod eſt in mundo immundo immundum eſt, & homo conſequenter. Sed macte animo ô homo, veni mecum, ducã te ad mundiſsimam mundatricẽ, quæ te & facilè & citò tam emundabit quàm ornabit. Ad quam? Ad Matrem mundiſsimi Virginem Deiparam. Non ſubſcribis dicto meo, Auſculta, en comprobo.

Dan. 1. Pueri in aula Nabuchodonoſor Regis nutriebantur cibo Regio, ut poſtmodum pulchri in Dan. 6. conſpectu Regis comparerent. Daniel cibum Regium eſt aſpernatus, contentus viliori. Res mira vultus ejus cæteris ſpecioſior apparuit. Vnde fuit exornatus? Recordabatur frequentiùs Daniel Hieroſolymæ. Colligo hoc nam de illo refertur cap. 6. quòd oraret frequentiùs converſa facie ad Hieruſalem. Hoc ſuppoſito, jam colligo, quid decorem illi contulerit, recordatio nẽpe Hieroſolymæ. Per Hieruſalem enim adũbra-Rupert. tur Deipara, Ruper. 7. de Divin. Offic. atteſtante.

te. Qui autem recogitat frequenter Deiparam, decore, venuſtate, vel ſola ejus memoria ipſum exornabit.

Omnia aſtra pulchra ſunt & decoris eximii, verumtamen cunctis aurora videtur palmam præripere. Cur & unde? Aurora Soli famulatur, ſemper enim aſsiſtit in publicum prodeunti. Exornetur igitur impenſiùs eſt neceſſe, nam qui ſolis, per quem Deipara, ſecundum Bern. Serm. 3. in Sal. Reg. deſignatur, ſe famulum profitetur, decore ſplendebit pulchriore. Nam qui cælum exornavit Cunctipotens ſolet ſervis Deiparæ, ſpecialiores gratias, ipsâ procurante, elargiri. S.Bernard.

Flos campi in hortum tranſportatus pulchriorem & odorem & decorem conſequitur. Cur? Hortus eſt Deipara, ſic appellat illam Rupertus, ſuper 4. Cant. Iámne advertiſti ô homo rationē? Te admonet hoc exemplo omnipotens, ut ſi velis multiplicem conſequi venuſtatem, ad Cæleſtem hortum, ad Deiparam, te transferto, & brevî te decore eximio eoque multiplici miraberis exornatum. Rupertus.

Ex omnibus Filiis Iacobi Ioſeph erat pulcherrimus, Patre atteſtante dum dicebat, Filius accreſcens Ioſeph, Filius accreſcens & decorus aſpectu. Quare pulcherrimus Ioſeph? Quia Filius Gen.49.

erat Rachelis. Rachel Deiparam adumbrat, ſic Rich. l. 4. Vide ergo myſterium & collige; quàm filii cultores nimirum Deiparæ ſint pulcherrimi. O verè pulcherrimi, nam Virgo hæc pulcherrima ſemper formam decoremque illorum multiplicat.

Richard.

3. Reg. 6.

Quidquid erat in templo Salomonis erat auro tectum, imò mirabilius etiam pavimentum domus texit auro ut dicitur 3. Reg. 6. quæſt. 30. Quid? Etiam vile pavimentum auro pulchro exornatur. Templum Deiparam adumbrabat ſic S. Bon. in Lau. B. V. O Homo in hoc templo vel pro vili pavimento te colloca & ſubitò ornaberis auro pulcherrimo. Hæc enim eſt cauſa cur in illo templo & pavimentum fuerit decoratum, ut pulchri cupidus ornamenti feruentiùs ad Deiparam te conferas, cernens vile etiam pavimentum tam pulchrè exornari.

S. Bonav.

Teneo piè quod in paradiſo omnes naſcerentur pulchri, nullaque deformitas inibi viſeretur, ſi protoplaſtes non deliquiſſet. Teneo hac fretus ratione, quia omnis defectus (conſequenter & deformitas) inductus eſt in pœnã Originalis peccati. Suppoſitâ hac ſententiâ inquiro cur in paradiſo nullus deformis extitiſſet: Non ſunt iſta compatibilia, paradiſus & deformitas: Nam paradiſus

ſus Deiparæ imago eſt, ut aſſerit S. Bern. Ser. 3. in Sal. Reg. & manenti in ditione Deiparæ deformitas non propinquat, nam ornabit illum pulchrè pulcherrima inter omnes Deipara. S.Bernard.

Secundum Ioannem à S. Geminiano ſimilitudinum L. 9. cap. 47. qui vult gemmam vel ſimile in pomo aut pyro inveniri, cùm cœperit efflorere & aliquantulum excreſcere imprimat profundè gemmam ejus præputio. Sed cùm conſidero te, ô arbor pulcherrima Virgo Deipara, video tam magnificè ornata eſſe quælibet poma tua, poma illa, ſervos, inquam, tuos, de quibus intuliſti, omnia poma nova & vetera dilecte mi ſervavi tibi. Anniteris enim quemlibet ſervum tuum exornare, & non decore qualicunque, ſed fulgidâ gemmâ illâ cujus pretiũ nequit inveniri, IESV CHRISTO. Hanc gemmam allaboras cujuſlibet cordi imprimere. Et quid poteſt ornamento tali ſplendidius & ſumptuoſius inveniri. Obſecro, ô Deipara Virgo, adorna & miſerum me gemmâ iſtâ, nam ſi illâ fuero exornatus omnis mea turpitudo ſubitò mirabiliter manebit decorata.

Qui à Deo conceſsis monilibus abutitur, iram DEVS ſuccendit contra ipſum : Neque hic deeſt Deipara, ſtatim enim aggreditur

tur illam mitigare. Sit ergo Stella XVIII. Nomen ejus ſit Incenſum. Ideo tale nomen illi indidimus, ſcimus enim edocti à Scriptura incenſum iram Dei toties mitigaſſe.



INCEN-

INCENSVM.

MARIA MITIGANS IRAM DEI.



IAM ALIVS ECCE.

ARGVMENTVM.

Narrat Ælianus L. 1. de Animal. cap. 38. Elephantum dum furit ſi formoſam aſpexerit mulierem manſueſcere iramque deponere. Quadrat Deiparæ: Deſævit ira Dei, ſed ubi objecerit ſe conſpectui ejus Deipara, ſupplicando conquieſcit, ut de Deo liceret, Iam alius ecce, exclamare.

DISCVRSVS.

IRa Dei juſti eſt terribilis, tarda quidem & veniens lento pede, ſed vi & cumulo bene compenſat tarditatem. Quis ſedabit flammam ejus? Venite, lætamini commonſtrabo. Quid? Incenſum, Deiparam.

Ioſue 10. Ioſue percupiens Amorrhęorum quinque Reges delere fugitantes exclamavit: Sol contra Gabaon ne movearis & Luna contra vallem Aialon. Ioſue 10. Si Ioſue diem prolongari deſiderat, cur non ait tantummodo, ſol ſubſiſte, ſed ſubjecit ut & Luna ſiſtat curſum? Vel ſolo ſubſiſtente ſole dies quam optabat protracta non ſubſtitiſſet? Eſt aliud, eſt, ô homo, hoc in voto myſteriũ, Luna ut aſſerit D. Bonav. in Spec. B. V. typus eſt Deiparæ, hanc igitur Ioſue adventaſſe metuebat. Nam ſi hæc fulgida Luna ad favendum hoſtibus affulgeret, ira Dei furorque in illos durè deſæviens, abruptus illico mutatuſque cerneretur. Et ideo Lunam præoccupat, ne favore hoſtes complectatur. Iam concludite quàm mitiget furorem divinum Deipara.

S Bonav.

Gen. 3. Peccato parentes primi perpetrato ſub arbore ſeſe abſconderunt. Quare ſub arbore? Arbor Deipa-

Deiparam ſignificat,& merito; nam protulit nobis dulcem fructum IESVM CHRISTVM. Ecce myſterium. Abſcondunt ſe ſub arbore, ſub patrocinium umbræ Deiparæ confugiunt, conteſtando umbram etiam Deiparæ vim habere ad furorem Dei cohibendum. Et ſanè cohibuit, nam parvula pro peccato ipſis pœnitentia injungitur. O paucula verè, nam fulmine evibrato æquum erat illos percutere, vel ut terra dehiſcens, vivos abſorberet efficere: Et ecce hæ pœnæ non erumpunt, nam compreſſit iram Dei arbor Deipara.

Non miror mirabundum Moyſen contendere ut videat viſionem grandem ardentis rubi nec combuſti. Nam profectò grande hoc fuerat miraculum. Hoc admiror. Cur hoc mirabile Moyſi aſpectandum Dominus exhibeat: ſuppono per rubum juxta Gregor. Nyſſen. Serm. in Nativit. Deiparam adumbratam. Iam profectò Deus per hanc umbram oſtendebat vim futuram Deiparæ in igne iræ Dei mitigando, & quodammodo homines hortabatur, ut ſi vellent vim hujus ignis ſine noxa effugere, ſurculos ſe eſſe rubi hujus adnitantur, nam ſicut tunc flamma illa læſionem rubi ſurculis non intulit, ſic & ira Dei adhærentibus Deiparæ non inferet, mitigante eum potenti Deipara.

Exod. 3.

S. Gregor Nyſſen.

Dan. 3. Miſsi in fornacem æſtuantem tres pueri ab igne non læduntur. Quam ob cauſam? Angelus deſcendens fecit in fornace ventum rororis flantis. Quare roris Ventum? Pando myſterium, Ignis furorem iræ Dei, Ros Deiparam, S.German. Conſtan. ſignificat, ſic appellat illam S. German. Conſt. in Encom. Deiparæ. Non mirum refrigeratum ignem éxtitiſſe, aderat ros ibi umbra Deiparæ, Deiparæ vim habentis furorem comprimendi æſtuantem. O Virgo ros Cæleſtis, ros proficuè nec me derelinque. Toties quotidie iram Dei ſuccendo delinquendo, ſed tu ſi aderis mihi temperabis, quid dico temperabis? extingues iram Dei juſtiſsimè contra me ſuſcitantem.

Lucæ 2. Peperit benedicta in æternum Virgo Deipara Iesvm. Et ecce ligat eum panniculis. Ad quid ô Domina mea, An ideo ne creſcat deformiter? non habet in tuo dulci puerulo locum deformitas, cujus Virginea caro à Spiritu Sancto, eſt pulcherrimè efformata. Alia, alia proculdubio ſit ratio eſt neceſſe. Quæ? Ligat illum ut oſtendat ſe irati manus ligaturam. Nec mirere, Mater eſt authoritate illa quâ ſubditus fuit ipſi, & irato manus valebit colligare, ne ſæviat in homines juſta ira, ejus. Liga, liga, ô benedicta, in æternum manus ejus, nam quotidie

tidie illum ad iracundiam nos miſeri provocamus.

Omitto quòd Sole amicta apparuit, ut colligas vim habere ſolis juſtitiæ temperandi. Omitto quòd in paradiſo hyems & venti non ſæviebant, quia ubi eſt paradiſus verus Deipara, ibi temperatus eſt Cæli furor. Apocal. 12.

In urbe Goa teſte Acoſta furore correptus Elephas Vinculis abruptis diſcurrebat, unus qui puerum infantem bajulabat viſo illo fugam arripuit infante derelicto. Adeſt Elephas omnes mortem infantis præſtolantur, & ecce Elephas leniter attollit infantulum, & in tecto humili collocatum, circumſpectat conſiderans ſatiſne puerulus foret ſine detrimento, hoc confecto curſum ſuum furibundus proſequitur. Interpretabantur homines hoc ideo feciſſe Elephantum quòd fuerat recordatus ſe antea à matre infantuli tranſeundo panem & aliquos fructus accepiſſe. Hoc idem & in mundo contingere aſſevero. Erumpit furor juſtæ iræ Dei, devaſtat plurimos, ſed ubi offenderit aliquem de pupillis tuis, ô Virgo ſuperbenedicta, remittit ſubitò iram ſuã, non effundit ipſam tuũ in famulum, ſed potiùs benignè illũ ſuſcipiens in loco collocat tutiſsimo. Recordatur enim quomodo tu filio ejus

lac præbuiſti, quomodo cuncta neceſſaria per tot annorum curricula ſummo cum effectu miniſtrabas, ac proinde licèt in alios furore deſæviat, ſed pertranſit ſervos tuos, imò complectitur illos peramanter, recordatione obſequiorum tuorum mitigatus. Sitis ô Homines, ſitis ſervi Deiparæ, quandoquidem etiam ab irato Deo tam benignè ſuſcipiuntur & complectuntur.

Ira Dei cùm deſævit in aliquem Cælum ſolet occludere, ſed Deipara, furore ejus mitigato ſatagit aperire, imò impetrat clavem ejus. Sit ergo Stella XIX. Nomen ejus quare Clavis ſit aurea argumentum Symboli explicabit.

CLAVIS AVREA.

MARIA APERIENS CÆLVM.



HÆC OSTIA PANDET.

ARGVMENTVM.

Imperator ut audivi dat auream clavem aliquibus (clavicularii tales nuncupantur.) Hanc habenti patet aditus ad Imperatoris aliqua cubicula. Nam excubitores viſa illa jam nequeunt ab ingreſſu prohibere.

DISCVRSVS.

CLauſum Cælum eſt imò adeò clauſum ut nonniſi Violenti rapiant illud. Sed fælix es, ô Homo, cui Cæleſtis Imperator clavem auream conceſſerit. Quam? Deiparam, ipſam portans in pectore ad cæli palatium ſi perrexeris adapertas ejus portas invenies.

Iturus in paradiſum Elias priùs, Iordanẽ pertrãſiit. Quod myſterium? Iordanẽ priùs adit ut ab il-
4. Reg. 2. lo clavẽ paradiſi accipiat: Iordanis enim teſte S.
S. Hieron. Hieron. Epiſt. ad Fabiol. Deiparam ſignificat. Dum igitur priùs adit umbram Deiparæ, te inſtruit ut in Cælum cupiens proficiſci adeas Deiparã, nam ſine hac clave ſi progredi præſumpſeris audies quòd fatuæ Virgines audierunt. Neſcio vos.

Math. 27. Moriente CHRISTO corpora Sanctorum ſurgentia iverunt in Civitatem Sanctam Hieruſalẽ. Ad quid adeunt ſanctam Civitatem? ſecundum aliquorum opinionem illa corpora quæ ſurrexerunt etiam poſtea cum Chriſto in Cælum aſcenderunt. Suppoſitâ hac ſententiâ en myſterium. Illa corpora in Cælum iter apparabant & ideo adeunt umbram Deiparæ, ipſam enim adumbrat
Rupertus Hieruſalem, Ruper. 7. de Div. Offic. 25. atteſtante, ut

te, ut innuant nemini præſumendum iter ad Cælum inchoare niſi adeundo priùs Virginem Deiparam, ut ipſa, velut Clavis Cœli, portas aperiat.

Hæc eadem cauſa cur Chriſto morienti adſtabat Deipara. Iturus enim erat Spritus Chriſti ad limbum ut animabus Sanctis aperiret viſionis beatificæ paradiſum, & ideo abeunti adſtat Deipara, ut videamus, quia ſi ipſa non aderit, non aperietur paradiſus. Ioann. 19.

Ezechiel quando erat juxta fluvium Chobar cælum apertum intuetur. Cur tunc aperiuntur Cæli juxta fluvium exiſtenti? Flumen ſignificat Deiparam, ſic Richard. l. 9. Cùm adſtabit tibi flumen benedictum Deipara & portas Cæli cernes reſeratas; Clavis enim Cæli eſt Deipara. Ezech. 1. Richard.

Siccitas cùm tempore Eliæ graſſaretur, pluvia non comparuit niſi nubecula è mari deſcendente. Cur è mari? Clauſum erat tunc Cælum ne pluviã demitteret, & ideo è mari, umbra enim mare Deiparæ, juxta D. Bonav. in Spec. B. V. clavis ad Cælum aperiendum tranſmittitur. Vide ergo quomodo clavem Cæli ſortita eſt Deipara. 3. Reg. 18. S. Bonav.

In aqua marina Cælum non ſolùm conſpicitur, verùm etiam videtur quaſi aſſervatum. Dic, obſecro, cur hoc mari attribuerit Omnipotens? Mare Deiparam adumbrat, teſte S. Bonav. in S. Bonav.

Spec. B. V. Quaſi ergo te edocet Altiſsimus, ut ſi Cælum invenire deſideres in mari, in Deipara, illud inquirito. Non ſolùm enim claves ejus, verùm etiam & ipſum complectitur.

Apud Romanos ut narrat Beyerlinck in Theatro Litt. P. f. 557. Sponſæ in mariti domum introductæ claves tradebantur. Hæ & tibi ô ſponſa Regis æterni Virgo Deipara traditæ ſunt. Vix comparuiſti in orbem terrarum introducta, & illico contulit tibi Omnipotens claves Cæli, unde & tu cælum clauſum reſeraſti, cælum quod nolebat demittere Meſsiam à tot ſeculis repromiſſum, aperuiſti, inquam, ut liquidò claves cæli collatas tibi cerneremus. Digneris ergo, ô Domina mea & miſero mihi benedictum, hoc Regnum aperire.

Poteſt hîc ſervire de Alaodino qui dicebat ſe claves habere paradiſi. Invenies hoc in Symbolo 44.

Allaborat hoſtis clavem hanc auream homini eripere, ſed Deipara ſuccurrit & confert victoriam. Sit ergo Stella XX. Nomen ejus Funda, ideoquòd Davidi funda victoriam de hoſte Philiſtæo contulerit.

F V N D A.

MARIA VICTORIAM CONFERENS.



VEL PARVVLE VINCITO
VINCTVM.

ARGVMENTVM.

Etiamſi neſcio quàm ferociſſimum ſit animal ſi cornua eius arbor aliqua implicavit, jam vel parvulus victoriam poteſt de illo reportare. Quadrat Deiparæ, nam iſta arbor benedicta implicat cornua hoſtis impetẽtis efficitque ut facilè victoriâ potiamur etiamſi viribus ſit noſter hoſtis ſuperior.

DISCVRSVS.

VIctoria res pulchra, ſed difficilis. Pulchra, nam coronam offert victoribus: Difficilis, nam adverſarius noſter & terribilis eſt & robuſtus. Sed macte animo ô homo! Si vis inimicum tuum facilè ſuperare, roga ut adſit Deipara, ipſa ſi aderit, jam tenebis in manibus Victoriam: comprobo quod aſſerui.

Iudic. 6. Promittens Deus Gedeoni victoriam in ſignũ ejus rorem in vellus demiſerat. Quare in vellus? vellus illud Virginem Deiparam adumbrabat ſecundum. D. Ambr. Serm. 13. de Nati-

S. Ambroſ. vit. Ecce myſterium. In vellere exhibetur ſignum victoriæ, ut colligas certius non inveniri ſignum victoriæ quàm Deiparam. Ipsâ comparente glorioſa conſurget brevî victoria.

Ioſuæ 3. Pergens Ioſue ad urbẽ expugnandã noctu movit caſtra. Quare noctu? Nocti Luna præeſt. Lu-

Richard. na umbra eſt Deiparæ ſecundũ Richard. l. 4. Tunc igitur caſtra movet dum luna conſuevit præſidere, nunquam enim fas eſt hoſtem aggredi præſumere niſi ſub patrocinio Deiparæ, Lunæ animatæ. Si enim ſub ejus patrocinio perrexeris victoriam proculdubio reportabis.

Perſe-

Perſequitur induratus Pharao Iſraelem & ecce operit illum mare. Quare non per aliud inſtrumentum confert Deus victoriam Iſraeli, ſed per mare? Mare Deiparæ typus eſt, ſic D. Bonav. in Spec. B. V. bene ergo per mare confert Iſraeli victoriam: nam Deipara, Virgo ipſa eſt quæ reddit noſtros hoſtes enervatos victos & extinctos. *Exod.* 14. S. Bonav.

Eliſeus Propheta Regi Iſrael mandaverat ut ſagittas, per feneſtram orientalem contra Syriam dirigeret. Quare per feneſtram, vel non poterat victoriam reportare niſi feneſtram aperiret? Ita ſanè prophetabat Eliſeus miſsionem illam ſagittarum victoriam de Syris portendere: Ergo ideo per feneſtram dirigendæ. Non aliter ô Homo, non aliter. Nam feneſtra Deiparæ typus eſt juxta S. Auguſt. 15. de Temp. & meritò, nam per illam ad nos ingreſſa eſt lux vera de Cælo CHRISTVS DEVS. Qui autem vult reportare victoriam dirigat ſagittas ſuas per Virginem Deiparam eſt neceſſe, hoc enim ſi fecerit proculdubio victor de hoſte triumphabit. 4. *Reg.* 13. S. Auguſt.

David cupiens victoriam de Philiſtæo reportare, fundam arripuit. Quare non gladium non alia arma magis metuenda? Per fundam Deiparam interpretari ſi conabor non errabo, ex illa nam- 1. *Reg.* 17.

que lapis ille exivit Chriſtus, qui gigantem proſtravit infernalem, ergo ideo arripuit fundam typum Deiparæ, nam ſi totum terrarum orbem luſtrando percurreres, arma invenire non poſſes tam valida, ſicuti eſt valida terribilis ut caſtrorum acies Deipara, ad fundendos fugandoſque hoſtes fortiſſimos. Ac proinde cùm adverſus hoſtes progrederis prima ſint arma tua Deiparam, obſecrando aſſumere.

Cn. Pompeius adverſum Mithridatem pugnaturus aciem ſic inſtruxit teſte Fron. lib. 2. cap. 1. ut Ponticorum quidem oculos adverſa Luna perſtringeret, ſuis autem illuſtrem præberet hoſtem & conſpicuum. Suadeo & ego tibi, ô Homo, dum ad pugnam cum tuo capitali procedis inimico, annitaris priùs adverſam hoſtibus reddere Deiparam, Lunâ pulchriorem, ſi enim hæc Luna tibi propitia, & adverſa fuerit hoſti tuo, proculdubio victoriam de hoſte tuo ſolennem, idque facilè reportabis.

Homini non ſufficit ut ira Dei, quæ adverſus ipſum exarſerat mitigetur non ſufficit ut clavem Cæli, recuperet non ſufficit ut victoriam de hoſte clavem eripere ſatagente conſequatur: Indiget quoque ut peccata quæ quondam patraverat

verat à Divino intuitu abſcondantur. Abſcondit Deipara, & abſcondit, remiſſionem impetrando. Sit igitur Stella XXI. Nomen ejus Nebula ſit, nam nebula res abſcondit.

NEBV-

NEBVLA.

MARIA PECCATA TEGENS.



VT PVLCHRIS FOEDA TEGANTVR.

ARGVMENTVM.

Cum aliquis vel offert vel vendere vult poma in caniſtro, ſolet in fundo viliora, in propatulo pulchra & grandia collocare. Hoc ideo ut vilia pulchris obtegantur aliàs nihil æſtimanda. Quadrat Deiparæ; cùm etenim animam peccatoris offert Deo ejus abſcondit fœditatem pulchris interceſſionibus ipſam obtegendo.

DIS-

DISCVRSVS.

LIbenter Dominus poma ſumit, unde Sponſa Cant. 5. Veniat dilectus meus, & comedat fructus pomorum ſuorum: Et iterum Cant. 7. Omnia poma nova & vetera dilecte mi ſervavi tibi Quæ ſunt iſta poma? Homines. Verum dixi, nam mors uncinus pomorum appellatur juxta illud Prophetæ, uncinum pomorũ ego video. Poma igitur ſunt homines, ſed heu turpia ſunt hæc poma & putrida, nam quis ſine peccati putredine invenitur? ac proinde nec digna ſunt ut à mundiſſimo & pulcherrimo Deo acceptentur: Sed macte animo, Virginem invenio ſapientem, ô verè ſapientem, incarnatam enim ſapientiam progenuit. Hæc inventioſa Virgo modum adinvenit fœditates pomorum obtegendi, nam vel illa condecorat ſuis interceſsionibus ſpecioſis vel pomis paradiſi cæleſtis gratiæ impetratæ admiſcet. Age non confingo, en comprobo. *Cant. 5.* *Cant. 7.*

In principio terra aquis circumcincta tegebatur. Si Deus decreverat ut terra appareret aquis denudata cur à principio aperta nó extitit? Inanis erat & vacua adhuc terra, inanitatem, vanitatem peccatoris repræſentans & ideo aqua per quam *Gen. 1.*

Richard. ſignatur Deipara, Rich. l. 9. aſſerente, tegit ejus & veluti abſcondit nuditatem, ut jam tum ab initio homini peccatori Deus oſtenderet, Virginem Deiparam libenter vilitatem ejus obtegere. Et ſanè feliciter obtegebat. Nam ſpiritus Domini ſuper aquam volitando, volitabat conſequenter ſuper terram aquis tectam, ac ſi turpem terræ inanis nuditatem non adverteret.

Levit. 16. Summus ſacerdos in ſancta ſanctorum perrecturus fumum incenſi præmittebat. Quam ob cauſam? Sacerdotibus dictum erat: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Et quia metuebat ne aliqua in ipſo inveniretur labecula ideo fumum præmittit incenſi, quod juxta Rich. l. 12. typus erat Deiparæ. Ipſa enim eſt mediatrix ſummo ſtudio allaborans, ut peccati labes contegantur. Hoc addo & bene expendito, ex mandato Domini incenſum præmittebat, fortè jam nos Dominus admonebat, ut in Dei conſpectum prodituri, Deiparam invocemus. Vt veniens noſtram tegat pravitatem, ne nauſeam provocet Deo noſtro.

Richard.

Lucæ 23. Dignum magno ſtupore eſt illud Salvatoris in Cruce poſiti alloquium: Hodie mecum eris in paradiſo, nam vix juſtiſsimus talibus eſſet verbis compellandus, non latro, qui peccata patravit innumera: ſed in promptu reſpōſio. Adſtabat huic latroni Deipara & ideo peccata ejus abſconſa

ſunt, ne quaſi à Domino videantur, cuncta in gratiam matris ſuæ latroni condonante prava facinora. O Virgo Domina mea digneris & mihi peccatori in hora mortis meæ aſſiſtere, profectò hoc eodem, & ſolabitur tuus natus alloquio, Hodie mecum eris in paradiſo.

Moriens Ioſeph poſteros obteſtatur ut in terram promiſſionis perrecturi aſportent ſecum oſſa ejus. Cur exoptabat in terra promiſsionis ſepeliri? per terram promiſsionis ſignatur Deipara teſte S. Aug. Ser. 100. de Temp. Et quoniam Ægyptum gubernabat & gubernando res eſt difficilis ut macula peccati nō adhæreat, ideo in terram promiſſionis cupit deportari, ut ſi quidpiam in ipſo inveniretur labeculæ terra promiſsionis tegeret & abſconderet. *Gen. 50.* *Auguſt.*

Dilectus Deo & hominibus Moyſes moriturus fauſtas benedictiones omnibus tribubus impertitur: ſtupeo quòd etiam benedictionem dat fauſtam Rubenitis. Stupeo, nam quomodo peccati Ruben à quo Rubenitæ velut à ſtipite deſcendebant non recordatur? Et præcipuè cùm & ipſe progenitor ejus Iacob dixerit Ruben moribundus, Effuſus es ſicut aqua? Aperio myſterium. Sed Dominum laudibus extollite quod nobis tam benignam providerit Dei- *Deut. 33.*

param. Rubenitæ manſionem circa Iordanem elegerant, per quem deſignabatur Virgo
S.Hieron. Deipara, juxta S. Hieron. Epiſt. ad Fabiol. Non miremur ergo Moyſen patris illorum peccati non recordari, nam Iordanis circa quem manſionem defixerant abſcondit ſcelus illud. Et hæc quoque cauſa cur omnibus tribubus effuſè benedicat, licèt ipſe progenitor illorum Iacob fecerit contrarium, nam ad terram promiſsionis jam accedebant ad figuram Deiparæ, juxta S. Auguſt. Serm. 100. de Temp. Qui enim ad colendam accedit Deiparam, jam ſcelera ejus nititur abſcondere.

Narrat Lucianus adverſus indoctum quendã opulentum in Aſia cùm per nivem iter ſuſcipiens pedes amiſiſſet infelicitatem ſolari cupientem ligneos pedes ſibi adaptaſſe, crepidiſque pulcherrimis ac ſemper recentibus inveſtiſſe, atque ita inter famulorum manus ambulaſſe. Tegebat iſte induſtrius pedes ridiculos. Sed tua, ô Virgo Deipara, longè ingenioſior eſt inventio. Decoquit animæ noſtræ pedes frigus peccati tyrannicum, ac efficit ut anima omnium gratiâ abſcedente non vivi ſed lignei appareant. Sed tu accurris ſollicitè, erumpentem obtegis fœditatem & efficis ut non ſolùm fœda lateat turpitudo, verùm etiam

etiam ut pedes compareant redivivi, gratiâ iterum impetratâ quam perdiderant.

Plura ultra prædicta ſunt homini neceſſaria, providet illa Deipara, ſit ergo Stella XXII. Nomen ejus Procuratrix.

PROCVRATRIX.

MARIA PROVIDENS NECESSARIA.



Ioan. Thomas delin. *A. Loemans ſculp.*

EST PROVIDO CVRA COMMISSA.

ARGVMENTVM.

Arbores foliis fructibuſque in hyeme licèt ſe cernerent deſtitutas, ſi pollerent intellectu, minimè triſtarentur, nam tempore opportuno ſcirent ſolem cuncta proviſurum, unde & reſponderent obiicienti inopiam, ſat provido cura commiſſa Quadrat Deiparæ, ipſa Sol, Nos arbores, ſed gaudeamus & exultemus, cuncta nobis hic Sol neceſſaria providebit, dummodo in nobis oriatur.

DIS-

DISCVRSVS.

PRoprietas hominis eſt inanitas & vacuitas, nec mirum, de illa enim eſt plaſmatus, de qua dicitur: Terra autem erat inanis & vacua. Vis ô terra neceſſariis abundare, porrigo conſilium. Solem Deiparam, in tui cordis cælum advocato. Ipſi tui cura ſi fuerit demandata cuncta neceſſaria idque ſuo tempore, tibi providebit. Addubitas? ad ſenſum manifeſto. *Gen. 1.*

Volens vitæ mortiſque dominator Iſaacum unicas patris delicias ſuæ majeſtati à parente immolari, mandat ſuper unum montium hoc peragi. Cur ſuper unum montium non alibi? ſtatuerat optimus Dominator ut loco Iſaaci aries offerretur, & ideo locum in monte deſignavit. Et quid inde? Sanè multum, nam ad eliberationem Iſaaci & ad ſacrificium loco ejus peragendũ aries opus erat, & ideo in montem Abraham dirigitur, ut mons rem, qua indigebat, provideret. Per illum namque montem ſecundum Richar. lib. 8. ſententiar. Deipara ſignabatur. Cui certè proprium eſt, ut neceſſaria cuncta convenientibus ſe provideat. Et videte quòd Abraham non ſolùm arietem in illo monte neceſſarium invenerit, verùm & hærétem cornibus, ut laborem non ſuſciperet capiendo fugientem. O mira Deiparæ providentia, quomodo & neceſſaria ſubminiſtrans, & quáſi ſine ullo labore capienda. *Gen. 22.* *Richard.*

Expo-

4.Reg.5. Expoſcebat Naaman ſuam ab Eliſeo lepram emundari. Quid Propheta? jubet ut pergat & abluat ſe in Iordane: Ad quid illum dirigit ad Iordanem, an Apotheca vel Medicinæ morbo depellendo proficuæ latitant in Iordane? Ita ſanè, omnia neceſſaria inveniri in Iordane eſt neceſſe. S. Hieron. Nam per illum adumbratur Deipara, D. Hieronymo Epiſt. ad Fabiol. atteſtante. Ad Deiparam, qui ſe contulerit, ſi infirmus medicinam, ſi trepidus auxilium, ſi triſtis lætitiam, ſi indigus cuncta neceſſaria proviſa inveniet: Sic cuncta providere nititur Virgo adeunti.

Gen.6. Injunxerat Noëmo Omnipotens in arcam cibos tam pro ſuo quàm pro animantium uſu comportare: Annoto & colligo latitare in hoc aliquod myſterium, nam quamobrem expreſsè ciborum comportandorum admonuit? vel tam rudis aggreſtisque Noë erat, ut neſciret cibaria in tam longum tempus comportanda. Omnino, omnino, in hoc latitare myſterium eſt neceſſe. Quod igitur? Volebat Dominus oſtendere Arcam per quam Deipara, juxta Heſychiũ Serm. 2. Eſychius. de S. Deip. deſignatur, ſic providam exiſtere, ut etiamſi cerneret neceſſaria gubernatorem proviſurum, tamen adhuc ad providendum inſtigaret. Nec mirandum, cujus enim cordi eſt aliquid impreſſum

impreſſum impenſiùs, etiam diligentem imò apparentem perurgeat ne rei obliviſcatur apparandæ. Benedicta ſit providentia ejus tam ſedula & ſolicita.

Suadens mulier Sunamitis viro ſuo ut Eliſæo Prophetæ hoſpitium præpararet, ſic ait 4. Reg. 4. Faciamus ergo ei cænaculum parvum & apponamus ei in eo lectulum & menſam & ſellam & cādelabrum &c. Ad quid iſta expreſsè, etiam minutula apparanda, exempli cauſâ candelabrum enumerat? nam dixiſſe certè ſatis eſſet: Præparemus ei hoſpitium ſeu cubiculum? Per illam Sunamitidem deſignatur, Deipara, ſic Richar. l.5. Iam igitur non admiror ita circa minutula ſolicitam, Virgo enim Deipara, nimis eſt ſolicita ut nobis minima etiam neceſſaria magno cum effectu provideat. 4. Reg. 4. Richard.

Tempore grandis illius famis quæ Iſraelem preſſerat diutiùs, mittit Deus Eliam ad viduam. Quare, obſecro, ad viduam pauperculam, nam potiùs ad divitem cibariis abundantem erat tranſmittendus. Per viduam illam poſſumus intelligere Virginem Deiparam, ita Richar. de S. Laurentio lib. 6. de Laud. Virgin. Ergo bene ad viduam Propheta dirigitur, ut vidua illi victum neceſſarium ad vitam ſuſtentandam provideat, nam 3. Reg. 17. Richard.

ad hòc deputata eſt Virgo Deipara, ut omnia neceſſaria recurrentibus ad ſe provideat ſolicite.

In inſula Zebut arbor cui nomen Coccus velut promptuarium quoddam invenitur, nam ex ejus trunco navigia, ex ramis funes & vela, ex aliis partibus malum, clavos, ac remos conficiunt, ut narrat Majolus Colloq. 21. ex variis authoribus. Imò ex eadem quoque arbore Saccharum colligitur & oleum ſecundum Ludov. Barth. rerum Indiar. l. 2. cap. 15. Imò ex ipſius ſtipite, teſte Petro Heſp. in Sylva p. 5. c. 17. ſtillat humor aqueus ad bibendũ ſuaviſsimus; in fructu ejus, qui ſimilis eſt peponibus, ſuccus eſt butyro perſimilis, qui poſtea vertitur in oleum, aquæ ſuperfuſus videtur Saccharum, ſoli expoſitus fit acetum. Tot res vtiles & neceſſarias hominibus unica hæc arbor ſubminiſtrat. Sed video ego adhuc arborem magis mirabilem. Te video, ô Deipara Virgo, tu verè una innumera ſuppeditas. Quidquid enim homini eſt neceſſarium in ſpiritualibus, in temporalibus, tu pia univerſitatis procuratrix provides & provides in magnâ ubertate, ſtudeamus igitur dilectiſsimi, ut hanc arborem benedictam in nobis plantatam habeamus. Nam profectò quidquid neceſſarium poſſumus concipere totum nobis

ſuis

ſuis precibus benedicta hæc arbor providebit.

Dum abutitur homo neceſſarijs iterum quærit illum flagellum iræ Dei. Abſcondit ab illo Deipara, ſit ergo Stella XXIII. Nomen ejus ſit Latibulum.

LATIBVLVM.

MARIA ABSCONDENS A FLAGELLIS.



SVB TVVM PRÆSIDIVM.

ARGVMENTVM.

Mergulus cum adeſſe rapaces aves adverterit curſu perceleri in aqua ſe abſcondit, ſicque mortem evadit incolumis. Quadrat Deiparæ, dum flagellum adeſſe ſuſpicamur in illa abſcondamur & plagas evademus.

DIS-

DISCVRSVS.

HOmini,nam & ipſe homo ſum, condoleo. In quo? ſemper video. Flagella congregantur in eum juxta illud: Multa flagella peccaoris, Pſal. 31. Do conſilium, ſi vides adventare flagellum confugito ad illud tabernaculum, de quo dicit idem Pſalmiſta Pſal. 26. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui. Dico clarius ſed ſimul tabernaculum hoc benedico, confugito ad Virginem Deiparam ipſa te abſcondet à flagello. *Pſal. 31.* *Pſal. 26.*

Cùm Dominus extuliſſet flagellum, flagellum ſiccitatis & famis contra Iſraelem ait ad Eliam 3. Reg. 17. abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem &c. Cur non in alium locum dirigitur ad latitandum? Volebat Dominus abſcondere Eliam ne flagellum famis duræ cunctos tunc feriens & ipſum invaderet, & ideo deducitur ad locum tutiſſimum, ad locum in quo homines à flagellis abſconduntur ad torrentem quem Iordanis reſpectabat. Non enim poteſt contingere ut Iordanis aliquem reſpiciat & à duro flagello non abſcondat, per Iordanem namque Deipara ſignatur, ut toties ex S. Hieronym. Epiſtol. *3. Reg. 17.* *S. Hieron.*

ſtol. ad Fabiol. retulimus. ô Homo, mihi crede, ſi flagellum in cunctos deſæviat, ſi orbem peſte, fame, vaſtitate, morbis populetur, ad te in medio illorum habitantem non accedet, ſi te Iordanis benedictus, Virgo Deipara, reſpiciet. Imo etiamſi te inquirat flagellum diligenter, non inveniet, nam benignum hoc latibulum ſuis interceſsionibus te abſcondet.

Ioſue 2. Miſerat exploratores Ioſue ut urbem Iericho perluſtrarent Quid tum? Res mira, diligenter illos incolæ inveſtigant ad ſupplicium, imò mirabilius mulier infamis illos occultavit: certè hoc ruminans obſtupeſco, nam mulieres garrulæ ſunt ſecretum nequeunt abſcondere. Quomodo igitur incolumes conſervantur? Sed cauſam incolumitatis invenio. Erat in Iericho Roſa umbra Deiparæ, & ideo non mirum à flagello mortis evidentis abſconditos, devenerunt enim in illum locum in quo umbra fuit Deiparæ, ô utinam & me abſcondas, ô Domina mea miſericors.

Eccleſ. 24. Multa habet nomina Deipara, inter alia etiam Nebula appellatur juxta illud: Et ſicut nebula texi omnem terram. Cur rei tam vili comparatur precioſior cunctis Virgo? Cùm nebula conſurgit animalia ſunt ſecura, nam à venatorum tendiculis abſconduntur. En myſterium. Flagella velut

la velut venatores hominem peccatorem inſequuntur, ſed es fortunatus, ô peccator, ſi exurgat tunc temporis nebula Virgo Deipara, abſcondet te neab horum conatu venatu capiaris.

Fugiens David Abſalonem 2. Reg. 15. aſcendebat in montem Olivarum. Quare non ad aliud refugit præſidium? Evibraverat Dominus flagellum contra David, perſecutionem dilecti filij permittendo, & ideo abſcondi deſiderans, montem adit Olivarum. Mons. enim Olivarum umbra eſt Deiparæ juxta Rich. l. 8. Deiparæ à flagellis homines abſcondentis. Et videte quàm efficaciter abſcondat Deipara. Dabat Achitophel conſilium nervoſum Abſaloni contra David, ſed & conſilium extinctum eſt, & flagellum omne Abſalone fugato ac occiſo brevî evanuit. Quàm igitur potens in abſcondendo Deipara. *2. Reg. 15.* *Richard.*

Denuntiabat Dominus per Eliam Achabo 3. Reg. 21. flagella duriſsima, eò quòd vineam Naboth abſtuliſſet. Quid Achab? Demiſſo capite ambulavit. Et ecce Dominus ad Eliam nõ inducã malũ in diebus ejus ſed in diebus filij ſui. quomodo? adeonè efficax eſt illa capitis demiſsio, ut cohibeat flagella Dei jam denuntiata per Prophetã & transferat illa in poſteros? Qui ambulat capite demiſſo terrã reſpicit, en ergo myſteriũ. Terra *3. Reg. 21.*

Deipara

Deipara dicitur, juxta illud: Aperiatur terra & germinet Salvatorem. Et inſuper ſic appellat illam

S. Auguſt. Auguſt. in Pſal. 64. Non admiremur ergo flagella in eum non deſævire qui reſpicit Deiparam. Nam hæc terra benedicta vim accepit à flagellis abſcondendi.

Iob 1. Hæc eadem cauſa cur S. Iobo dura illa flagella non nocuerunt (nam de illo dicitur, in omnibus his non peccavit. Iob. 1. quia adoravit quaſi confugiens ſub patrocinium terræ umbræ Deiparæ, ut ſpiritum ejus à læſione duri ſanè flagelli abſconderet.

Hæc eadem cauſa cur tempore affligentis flagelli cujuſpiam ad Cælum & oculos & manus attollimus, ut Cælum typus Deiparæ ab illorum impetu nos ſubducat.

Glaucus piſcis teſte Æliano l. 1. cap. 16. de animal. ſic diligit fœtum ſuum, ut ubi conſpexerit quempiam ex illo trepidantem ſtatim ore hiante parvulum excipiat nec revomet niſi timore recedente, ſed major tuus affectus reſplendens in famulos ô Deipara Virgo, ſimulatque enim aliquem advertis formidantem, eò quòd flagellum Dei cernat adventare, illico occultas abſcōditum, nec à tuo dimittis patrocinio donec timor omnis evaneſcat flagello recedente.

Sunt

Sunt aliqui ita duri, ut nec flagellis ad DEVM pertrahantur, neque tales negligit Deipara, ſed conatur illos precibus ſuis allicere, ſit ergo Stella XXIV. Nomen illi demus Annulus: Quare autem? Vide Symboli argumentum.

ANNVLVS.

MARIA TRAHENS AD DEVM ANIMAS.



VEL TOTVM ATTRAHET ORBEM.

ARGVMENTVM.

Narrat Petrus Berchorius Reduct. Moral. l. 10. cap. 99. Gemmam Lipaream ita gratam animalibus exiſtere, ut confluant ad eam intuendam, unde venatores cum aliquam feram capere non ſufficiunt illi oſtendunt gemmam lipaream, & ſubitò accurrit quæ nuper fugitabat. Quadrat Deiparæ, nam per illam multæ feræ, peccatores nimirum, ad Deum attrahuntur.

DIS-

DISCVRSVS.

DElectatur Dominus venatione ferarũ, hominum nempè peccatorum, ſed feræ inſenſatæ diffugiunt ab illo, à quo qui fugerit ad mortem currit ad laqueum. Et quidem varias artes ad capiendas has feras excogitat, nunc flagellis, nunc interiori dulcedine inſtillata attrahendo, ſed perſæpe his potiùs obdurantur quàm molleſcunt. Sed benedicta ſit omniſcia ſapientia ejus, modum efficaciſsimum ad capiendum adinvenit. Quem? Gemmam Lipaream, Virginem Deiparam, illa exhibita, feram neſcio quam ſylveſtrem brevî adductam captivabit. Tantiſper aperio.

Ad natum Salvatorem Stella Magos traxit. Matth. 2.
Quare non Angelus ſed Stella? Stella illa Deiparã
ſignificat, ita S. Bonav. in Spec. B. V. Stellæ ergo S. Bonav.
cõpetebat Magos adducere ut Deiparam, ad trahendum deſtinatã cerneremus. Imò neque illud prætereo Magos primitias gentiũ per typum attractos Deiparæ, ut cũcta recognoſcat Eccleſia ſe nimiùm obligatã eſſe Deiparæ, cujus ductu ſubdidit ſe Salvatori morum gentiliũ feritate depoſitâ.

Tanto cum labore à diluvio præſervata Noë Gen. 8.
animalia, jam educta Domino immolavit. Res hæc certè provocat ad ſtuporem, nam hominem rem quampiam cum labore ab interitu præſerva-

tam diligunt impenſiùs. Quomodo igitur cor Noë non ſcinditur animalia recenter conſervata immolãdo, & præcipuè cùm ab illo id Dominus non exigat? Fateor in aliis hominibus multis vim hanc effectum habituram, ſed non in Noëmo, manſit enim in arca quæ typus erat Deiparæ, ut
S.Bonav. teſtatur D. Bonav. in Laud. B. V. & ideo aſpectus ejus, à tranſitoriis eſt abſtractus. Non enim eſt poſſibile ut aliquis maneat in umbra Deiparæ & effectus ejus avulſus ab omnibus ſoli Deo non adhæreat, tam potenter trahit feras affectuum Deipara.

Exod.35. Exodi 35. prompto animo mulieres annulos, inaures & alia pro arcæ fabrica obtulerat. Quomodo prompto animo? Nam notum eſt cuilibet mulieres ornamenta ſua ægrè diſtrahere, dicant cultui Divino pecunias, ſed propria ornamenta ſic diligunt, ut in pauperiem inducant, viros ſuos, extorquendo indies nova ornamenta. Ita fateor mulierum affectum in ornamentis merſum eſſe,
Ildefon. ſed mentio arcæ, quæ, teſte Ildefon. Serm. 1. de Aſſumpt. omni tractu eſt fortior. Tantæ enim efficaciæ eſt vel mentio Deiparæ, ut effectus tenaciter adhærens rebus vanis, ſubitò ſe permittat captivari, & omnibus ſpretis abjectisque ſoli Deo colla ſubdat. Benedicta ſit tam potens in attrahendo arca viva Deipara. Si

Si aliquando ſomnus eſt gratiſsimus certè dum incipit luceſieri, & tamen tunc præcipuè cõſurgunt aviculæ, & ſomno derelicto modulantur. Quid tam validum tunc comparet, vt avulſus à ſopore ſuaviſsimo ad cantum auſpicandum exſuſcitet? Aurora tunc exoritur typus Deiparæ, teſte D. Bernar. Serm. 33. in Cant. & ideo gratum aviculæ ſoporem derelinquunt. Nam ubi comparuerit aurora, aurora Deipara, jam affectus linquunt ſua latibula, & egreſsi Deoque adhærentes in laudem Dei effunduntur. Hanc eandem quoque cauſam aſſignarem, cur ſeduli literarum cultores mane ſurgant ſoporemque intermittant, ac abrumpant, ſapientia namque typus Deiparæ, illorum Cor avellit à ſopore, ut hinc colligamus, vim habere Deiparam ad effectus à quocunque dulci avellendos. S.Bernar.

Redeuntes Rubenitæ Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe ad terram promiſsionis Ioſuæ 22. ædificant Altare miræ magnitudinis. Cur primũ quod aggrediuntur venientes in terram ſuæ poſſeſsioni attributam eſt altaris extructio, potius enim ad rem familiarem propagandam, ad agros impenſiùs excolendos ſe conferant, poſtmodum conſtruendi altaris fabricam ordiantur? Videte myſterium ſimul vim Deiparæ. Ita eſt confiteor, Ioſuæ 22.

affectus humanus priùs ſe contuliſſet ad rem familiarem propagandam. Sed Iordanis viſus, umbra Deiparæ, ipſa enim per Iordanem, S.Hieron. Epiſt. ad Fabiol. atteſtante, deſignatur, avulſit à terrenis ſicque traxit ad Deum, ut cultum ejus omnibus cæteris præponeret. O Domine Virginis hujus ſanctiſsimæ quomodo felicem vim exeret, ut diſcolos affectus iſtos, feras trahat ad te.

S. Hieron.

Lutra in Suecia teſte Olao l. 8. c. 12. adeo fuit obediens ut ad nutum coqui piſcatum proficiſceretur, ejuſq; magnitudinis ferret piſces quales coquus inſinuaverat. Imago tua, ô Virgo Deipara, circumfert hoc animal. nam profectò Deus omnipotens te elegit ut capias & portes homines velut piſces in his vitæ præſentis undis fluitantes. Et ſanè feliciter obis injunctum hoc officium; nequit enim inveniri homo tam diſcolus quem ſubitò non adducas, à Deo ad capiendum illum expedita. Obſecro ad me quoque egredire capiendum, profecto non manebit cor meum ita à Domino elongatum.

Et attracti ad Deum permittuntur nonnunquam in morbos incidere. Alleviat illorum dolores Deipara. Sit ergo Stella XXV. Nomen ejus ſit Cataplaſma.

CATA-

CATAPLASMA.

MARIA DOLORES ALLEVIANS.



ALLEVIABIT.

ARGVMENTVM.

Innatum eſt homini ut ictu accepto manum admoveat, nec in vanum; nam alleviamentum experitur. Hoc factitat ſtatim quoque dum patitur, vel capitis dolorem, vel ſtomachi, vel torſionum cruciatus. Quadrat Deiparæ, nam manus eſt, Bernard. de Buſto atteſtante, hanc ſi Deus applicat patienti proculdubio dolor ejus levabitur.

DIS-

DISCVRSVS.

MVndus iſte hoſpitale eſt redundans infirmis, & graviter dolentibus: Nam & malos cruciat conſcientia ſauciata, & iuſtos durum vitæ præſentis torquet exilium. Sed macte animo providit Deus manum medicam velut Cataplaſma Virginem Deiparam: Et jure Virginem Deiparam manum appellavi, manum, nam per illam dona cæleſtia porrigit Omnipotens, per illam protegit ab hoſtibus, per illam attollit in ſublime. Iure ergo manus eſt. Sed quod ſit etiam manus medica dolores allevians cognoſcite.

1. Reg. 16. Quando malus ſpiritus Deo permittente per melancholiam Saul cruciabat, veniebat David & Cytharam pulſans dolorem mitigabat. Duo diſcutio. Primum. Cur non alius Cytharœdus requiritur ſed David? Patulum eſt, patulum myſterium, de Davidis ſtyrpe proditura erat Virgo Deipara, Virgo vim ad compeſcendos dolores ſortitura, & ideo ut hoc præſignetur, vis etiam collata patri ejus. Alterum eſt, cur non alio dolor ille inſtrumento muſico delinitur, ſed cytharâ? Per Cytharam piè poterimus aſſerere Deiparam deſignatam, erat enim & concava ob humilitatem

militatẽ admirandam & fidibus ordinatis, nempè virtutibus, conſpicua ſuavem Harmoniam cientibus, & ideo Cythara dolores alleviat, ut videamus Deiparam, lenituram torquentes nos dolorum cruciatus.

Curioſiùs inveſtigo: Cur dolentes & afflicti, in terram ſeſe jactitabant; Per iſtud oſtendebat Dominus remedium ad dolores mitigandos, ut nimirum homo preſſus cruciatu confugiat ad Deiparam, illa enim per terram, utpote quam ſic Spiritus Sanctus nuncupavit per Prophetam, aperiatur, dicens, terra & germinet Salvatorem, deſignatur. Iſaiæ 45.

Et durior paupertas & charorum amiſsio liberorum cor Noëmi vehementi cruciabatur dolore: alleuiatur attamen non modicè, propterea quòd Ruth Moabitis ipſi adhæſerit. Ruth quem adumbrat? Te ô ſuaviſsima Virgo Deipara, non ego ſed tuus ardens Bonaventura in Spec. B. V. M. ſic te appellavit. O felix cui tu per pietatem adhæſeris, doloribus undequaque illatis torqueatur, minuentur profectò & alleviabuntur per te ô Ruth ſuperbenedicta. Ruth 1. S. Bonav.

Premebatur dolore graviſsimo Iſaac Gen. 24. mortem Saræ parentis ſuæ conſpiciens, vadit ad meditandum in agro. Cur egreditur, nam potiùs Gen. 24.

R ſumet

ſumet ex ſolitaria deambulatione incrementum mœſtitudo? ſumet ſed miteſcet, ivit enim ad agrũ ad typum Deiparæ, ipſa enim eſt ager benedictus, qui genuit nobis panem de Cælo verum Chriſtum ſuper omnia benedictum. Et inſuper ſic ipſam Richard. Cultor eximius nuncupavit. l. 8. Ergo dolor minuetur viſo tãtummodo hoc agro benedicto.

Richard.

Iſaiæ 28.

Ægrotanti graviter Ezechiæ Iſaias Propheta maſſam de ficis cataplaſmatam ulceri applicuit. Quare non alterius ſpeciei cataplaſma? Per ficus adumbratur Virgo Deipara teſte Richardo à S. Laur. l.2. bene ergo, bene maſſa hæc applicatur, vim enim ſortita eſt Deipara comprimendi cunctos dolorum cruciatus.

Richar.l.2.

Apud Indos vigere hanc ſuperſtitionem teſtatur Ramuſius l. 3. Hiſt. ut in ægrotantium faciem inſufflent ſimulantes ſe eos à malo liberaturos. Vanum iſtud eſt & frivolum, nam halitus ille nec tollendi, nec minuendi doloris vim retinet. Tuus favor ô Virgo ſuperbenedicta vim iſtam obtinuit, tu enim infirmos ſervos tuos viſitas & dolores illorum tanquam pia Mater benignè allevias. Non ex me habeo quod aſſero, legi enim quod Maria Ogniacenſis, ut eſt apud Surium 23. Iunii, viderit te ô Virgo ſanctæ cuidam viduæ

aſſiſtentem

aſſiſtentem decumbenti & quaſi flabello quodam caloris æſtum, quo torquebatur, humaniſsimè temperantem. Allevia & in me ô Deipara, Virgo & Domina mea morbum illum, quem concupiſcentiæ pravæ exſuſcitant, ut ſemper gratiſsimum gratiſsimæ protectionis tuæ refrigerium experiar.

Incidunt attracti ad Deum non ſolùm in dolores, incidunt & in febres animi æſtuantes, uruntur enim aliquando æſtu concupiſcentiarum, alleviat & talem morbum Deipara. Sit ergo Stella XXVI. Nomen ejus ſit Vmbraculum.

VMBRACVLVM.

MARIA REFRIGERANS AB ÆSTV.



HVC FESSA MEMBRA RECVRRENT.

ARGVMENTVM.

In hortis ædificant homines umbracula, ſub quo, æſtu adurente, membra refocillent. Quadrat Deiparæ, ad hoc enim proviſa eſt hominibus ut ſub umbra ejus ab æſtu refrigerentur.

DIS-

DISCVRSVS.

HOrtus pulcher & artificioſus eſt mundus iſte, in ſe mundus, immundus ob immundos, ſed heu æſtus in illo continuus, æſtus concupiſcentiæ, æſtus omni æſtu moleſtior; ſed erigite animos, conſtruxit Deus pulchrum umbraculum Virginem Deiparam ad illam recurrite omnes feſsi, vos ſentietis ab æſtu relevatos. Rem aperio.

Sub diluculum etiam æſtivis diebus tempus eſt frigidius. Quam ob cauſam? Tunc temporis exoritur aurora. Et quare hoc privilegium aurora obtinuit ut ad ejus exortum refrigerium oriatur? Aurora typus eſt Deiparæ, ſic D. Bern. Serm. S.Bernard. 33. in Cant. ideo ergo conſurgente aurorâ refrigerium conſurgit, ut inde colligas Virgini Deiparæ competere refrigerium feſsis apportare. Si igitur & tu æſtu preſſus cupis reſpirare, aſpira ad auream auroram Deiparam, hanc invoca, hac conſurgente, conſurget alleviamentum ſalutare.

Nec illud caret myſterio quod in templo cernamus vigens refrigerium gratiſsimum. Cur igi- Ildefonſ. tur? Templum Deiparæ typus eſt. Sic appellat illam Ildefon. Serm. 7. de Aſſumpt. ubi eſt templum hoc benedictum ibi neceſſe eſt eſſe refrigerium gratiſsimum.

Inter alia Cæli officia, etiam hoc deprehendo vapores extrahere. Quam ob cauſam hæc qualitas cælo eſt indita? Vapores extracti atque ad mediam aëris evecti regionem, in nubes, in pluvias concreſcunt, quæ poſtmodum ferventis æſtum Solis refrigerant. Iam diſſolutionem teneo quæſtionis, Cælum Deiparæ imago eſt. Sic appellat S.German. Conſt. illam S. Germ. Conſt. in Pſal. 44. Non deſiſtit hoc ſacratum Cælum grata refrigeria efformare, & anniti, ut ferè emortua facies uſti orbis relevetur & recreetur.

In montibus præaltis, nives etiam neſcio quàm ferventiſsimo tempore perſeverãt. Philoſophicã hujus rei non indago rationẽ, ſed curioſiùs forſan inquiro, quare providentia Divina, cujus nutu & ordinatione hæc peraguntur, in mõtibus nives fecerit permanentes? Nix refrigeriũ deſignat; Mons S. Gregor. verò juxta S. Greg. in 1. Reg. 1. Deiparam adumbrat. Hæc igitur eſt ratio cur nives in montibus, Deo diſponente, perenniter aſſervantur, quia mons Domini benedictus, Virgo Deipara tenet ſemper refrigerium gratiſsimum, quod ab æſtu mundi hujus conquaſſatos refocillet.

Exod. 16. Quando cadebat manna Exodi 16. cadebat in ſimilitudinem pruinæ. Quare in ſimilitudinem S.Ambroſ. pruinæ? Manna ſecundum S. Ambroſium in Pſ. 21. Signi-

21. ſignificat Deiparam. Pruina verò ſecundum S. Aug. ſuper Pſal. 118. ſignificat refrigerationem concupiſcentiæ. Manna ergo in ſimilitudinē pruinæ delabitur, ut cognoſcas Deiparam refrigerium ſecum apportare. S. Auguſt.

Refert Plinius lib. 31. c. 3. Neronis inventum fuiſſe aquam decoquere vitroque demiſſam in nives refrigerare. Continuò tu ô Virgo ſuperbenedicta præſtas idem. Vivimus miſeri in hoc mundo laſſati æſtu ejus aſsiduo, urunt enim nos concupiſcentię pravæ, ſed ades tu ſervis tuis & gratā nivem patrocinii tui efformās laſſos refrigeras, & ne periculoſum incurrāt deliquium, porrecta hac nive ſuccurris, efficiſque ut feſſa illorum membra reſpirent, vires reſumant, & vegeti ac firmi iterum permaneant. Noli ergo ô Virgo, noli manū tuam benignam, & à me ſubtrahere, porrigat mihi obſecro hanc nivem, ut illa refocillata mens mea, integra & robuſta unigenito tuo Domino meo tota fortitudine ſemper inſerviat.

Qui infirmantur & laborant prædictis febribus aliquando occulto Dei judicio, ſemper tamen juſto, mori & à gratia excidere permittūtur. Procurat illos ſuſcitare Deipara, ſit ergo Stella XXVII. Nomen ejus ſit Sepulchrum vivificum. Quare autem? vide in Symboli argumento.

SEPVL-

SEPULCHRUM VIVIFICUM.

MARIA A MORTE RESUSCITANS.



IN TE REVIXI.

ARGUMENTUM.

Muſca teſte Iſidoro lib. 12. Cap. 8. Quando ſuffocatur in aqua ſi reponatur in cineribus reviviſcit: Quadrat Deiparæ, nam homo ſuffocatus in peccatis, ubi illi commiſſus fuerit reviviſcit reſurgens à peccato. Quadrat & vas plenum Cineribus Deiparæ, tota enim erat plena humilitate, cujus cinis typus eſt.

DIS-

DISCVRSVS.

SEpulchra extruunt multi magnifica in terra, in aëre, quæ tegunt quidem cadavera, verùm à corruptione non præſervant. Sed invenio ego locum quendam, in quo ſi mortuum ſepelias non ſolùm corruptionis vim evaſiſſe, verùm etiam vitæ cernes reſtitutum. Hic locus benedicta eſt Virgo Deipara, non enim mentitus eſt ille, qui in perſona ejus dixit: Qui me inveniet, inveniet vitam. Sed oſtendo.

Quando mors improba puerum Sunamitidi ſurripuit, Eliſæus Propheta tunc in monte Carmeli morabatur. Quare & utique providentiâ ordinante tunc Propheta futurus parvuli ſuſcitator degebat in Carmelo? Poſſumus aſſerere, hoc ideo ordinatũ, ut mater filii ſuſcitandi gratiâ, Carmelũ, qui typus erat Capitis Deiparæ, adiret, juxta illud Cant. 7. Caput tuum ut Carmelus. Et Richar. l 5. Nam quicunque mortuum cupit cernere redivivum, Carmelum Deiparam adeat, & optatis potietur. Addimus & alteram rationem; hæc ideo diſpoſita, vt Prophetæ ad mortuum ſuſcitandum perrecturo vim conferret Carmelus, umbra Deiparæ. Hinc collige quam potens ſit Deipara, in omiſſa vita iterum conferenda.

4. Reg 4.

Richad.

Vt Aaronis Virga geminaret Domino intimante Num. 17.

S

mante in tabernaculo fœderis deponitur. Quare omnipotens Deus non alio in loco vult efflore-ſcere emortuum illud lignum ſed in tabernaculo fœderis? Virga refloreſcens reſurrectionis typus

Lauretus. eſt ſecundum Laurentum in Syl. All. Taberna-

Richard. culum verò, fœderis Deiparæ, Richard. l. 10. atte-ſtante. In tabernaculo fœderis effloreſcere vult Virgam emortuam, te inſtruens, ut agnoſcas vim habere Deiparam ad mortuos vitæ reſtituendos, dummodo in patrocinio ejus deponantur. Nec immeritò. Nam quæ mundo vitam verè vitalem progenuit, nempe Chriſtum, qui via eſt, veritas & vita, conferet & illis veram vitam, gratiam impe-trando.

Poſt viſam Scalam Iacobum evigilaſſe ſubjun-

Gen. 28. gitur. Cur ſubjungitur? ergóne conſpectus Scalæ & evigilatio ſunt connexa? Ita ſanè. Evigilatio deſignat reſurrectionem, juxta Lauretum in Syl.

S.Bonav. Alleg. Scala Deiparã, ut aſſerit D. Bon. in Laud. B. V. Non igitur admireris evigilationem necti cum ſalutaris Scalæ viſione, ubi enim benedicta Scala, Deipara, comparuerit, ſancta reſurrectio ſubſequatur eſt neceſſe.

CHRISTVS ſurrecturus à mortuis tempore plenilunii reſurrexit. Quare ſub tempus pleni-lunii? Admonet te ô peccator homo demortue

ad

ad Lunam plenam confugere, ſi vitæ reſtitui deſideras, ad Virginem, inquam, Deiparam, (verè Deipara, luna plena, nam immutabilis ſplendor ejus, alii autem homunculi lunæ ſunt mutabiles.) Si aderit hæc plena luna, aderit & reſurrectio exoptata. Confugito ergo ad Deiparam, nam ipſa eſt illa aqua benedicta, de quâ Iob 14. ad odorem aquæ germinabit (nempe homo emortuus, qui verè eſt ſuccisum lignum) & faciet comam &c. Iob 14.

Frumentum in granario aſſervatum putreſcit, in terra ſepultum reſurgit, imò reſurgit cum fœnore & decore, quare non reſurgit ſepultum in granario ſed in terra? Terra Deiparæ typus eſt: ſic Beda in 2. Gen. Felix es ac millies felix ô granum ſi te Omnipotens in hac terra benedicta ſepeliat, omnes mirabuntur tuæ reſurrectionis ſplendorem contuentes. Nam ideo terræ hoc conceſſum, ut vim Deiparæ in reſuſcitando repræſentet. Beda.

Ariſtoteles in admirandis cap. 28. ſcribit in Sicilia fontem eſſe vorticis forma, in quo aves à quopiam ſuffocatæ & reliqua animantia ubi fuerint merſa reviviſcunt. Talem fontem te, ô Virgo Deipara, profiteor. Suffocat peccati lues miſerum hominem, ſed felix eſt, ſi ad te, ô Fons vitalis, deducatur, ſubitò profectò vita redibit deperdita,

ſubitò mors ſtupens vitæ illum reſtituet, ubi aqua tuæ interceſsionis piiſsimæ benignè illum ſuſceperit.

Suſcitatus homo à morte peccati multis intricatur perſæpe erroribus, ſcrupulorum, vel deſperationis recogitans ſe nuper à gratia excidiſſe, aliiſque ſimilibus. Adeſt & hic Opitulatrix Deipara extricans ab omnibus quæimplicant. Sit ergo Stella XXVIII. Nomen ejus Hortulana. re autem, vide in Symboli argumento.

HORTVLANA.

MARIA EXTRICANS AB ERRORIBVS.



RECTIFICABO.

ARGVMENTVM.

In horto herbæ inutiles ſi flores ambiant & complectantur à ſedulo hortulano evelluntur. Nam ſi neglexerit hortum reddunt deturpatum ,flores ſuffocatos. Quadrat Deiparæ , eſt enim ſollicita circa errores extirpandos ſi cultorem ejus velut florem Hortuli prædilecti præſumant implicare,

DISCVRSVS.

FLos decorus Homo Chriſtianus eſt plantatus in Horto Deiparæ odorifer, medicinalis, exornans. Sed errorum herbæ vicioſæ aliquando conantur ipſum ſuffocare. Herbæ iſtæ noxiæ ſcrupuli ſunt, rationes politicæ, minus fundatæ opiniones prava exempla & ſimilia; ſed macte animo, non diu te prement herbæ iſtæ, luſtrant continuò Hortulum ſuum oculi Deiparæ, ſoliciti inveſtigant an aliquæ errorum herbę flores complectantur, & ſi quaſpiam adverterit, ſubitò eradicat. En oſtendo.

Gen. 35. Rachelis non in alio loco terræ mandatur corpuſculum, ſed juxta viam quæ ducit in Ephrata, quare nō alibi, exempli cauſâ, in loco remoto vel excelſo ſepelitur? Rachel interpretatur ovicula, & ideò deſignat Deiparam, quę genuit nobis agnum Dei tollentem peccata mundi. Sic inſuper appellat illam Richar. l. 4. via ducens in Ephrata, ſignificat pręcepta, quæ ſunt via ad Cęlum deducens, per Ephrata ideò deſignatum. Nam Ephrata ubertatem ſonat, quę verè in ſolius Cæli incolatu felici invenitur. Iam credo capitis myſterium.

Richard.

Secus

Secus iſtam viam,juxtà nimirum pręcepta,errores demorantur, illo Pſal. 139. atteſtante, juxtà iter ſcandalum poſuerunt mihi. Ergò juxta viam reconditur Rachelis corpuſculum. Nam Virgo Deipara, ſolicitè invigilat & attendit, ne in hoc ſalutari itinere directo in Ephrata errores filios ejus comprehendant, ſed ſimulac aliquem emergentem conſpexerit evulſum necat Mater perbenigna: Non permittit enim ut ſui cultores revocentur ab obſervantia & decurſu præceptorum, vel Hæreticorum diſcipulis, vel rationibus politicorum inſenſatis, vel ſubdola prudentiæ carnis aſtutia nocituram præceptorum obſervantiam valetudini affirmante. *Pſal. 139.*

Faciebant magi in Ægypto ſerpentes Moyſe & Aaron præſentibus, ſed Aaron virgam applicuit quæ cunctos magorum devoravit ſerpentulos. Quare non alio modo placuit Altiſſimo ſerpentes extinguere ſed per virgam? Virga præfigurabat Deiparam, ſic Bernar. Hom. 2. ſuper miſſus eſt: ſerpentes cùm ſint aſtutæ beſtiolæ errores aſtutos adumbrabant: ô Homo ſedulam bonitatem Deiparæ admirare. Dum Virga devorat ſerpentulos quid aliud ſignabatur quàm ſolicita cura Deiparæ, quam adhibet in callidis erroribus ſubmovendis. Ergo ſi te quopiam implicatum *Exod. 7.* *S. Bernard.*

errore

errore conſpicias ad virgam hanc recurrito, ipſa brevî rediget illos in nihilum.

Dan. 4. Inter multa quæ Daniel Nabuchodonoſor Regi nuntiabat, & hoc ſubintulit, futuram nempè converſationem ejus cum beſtiis, roreque cæli irrigandum. Quare ſpecialiter rore cæli perfundendus prędicitur? Nabuchodonoſor in magno & ſtulto errore verſabatur putans non dominari altiſſimum, & ideo ut ab iſto peſsimo errore extricetur, rore cęli perfundendus. Ros enim Deiparæ imago eſt. Sic appellat illam S. German. Conſtan. in Encom. Deip. quæ ſedulò eſt invocanda ut illabens liberet ab erroribus.

S. Germ. conſt.

4. *Reg.* 5. Ablutus Naaman in Iordane Deumque verum recognoſcens, tollit ſecum partem terræ ſanctæ. Ad quid obſecro? Reverſurus erat in patriam idololatris pleniſsimam, & ideo ne ampliùs erroribus implicetur gentilium, tollit ſecum partem terræ ſanctæ, quæ typus erat Deiparæ. Sic enim appellat illam D. Arnobius in Pſalm. 54. Habet enim vim hæc Domini terra benedicta præſervandi ab aſtutis errorum decipulis.

Arnobius.

Pſal. 126. Qui ad illa verba Pſalmiſtæ, Pſ. 126. dicentis vanũ eſt vobis ante lucẽ ſurgere, attenderit, ſtomachabitur: Nam per illa videtur fovere juvenum deſidiam, ſurgere ante lucem refugientium ad

ſtudia

ſtudia perdiſcenda: Sed abſit, optima eſt ejus ſententia, docet enim ſtudia non eſſe pertractanda antequam affulgeat non iſta materialis ſed cæleſtis Aurora; illa, inquam, quæ peperit nobis diem, per quem factus eſt omnis dies, Virgo Deipara, vanum ergo ante hujus adventum lucis ſcientiis incumbere, nam in ſciētiis plurimæ errorum latitant inſidiæ, quæ proculdubio animum addiſcentis implicabunt, ſi deerit lux extricans & præſervans Deipara.

Poſſem adducere & illud Iob 24. Fur & adulter (errores nimirum, qui furari & adulterare veritatem adnituntur) perfodiunt in tenebris domos (intellige Sapientiæ) ſicut in die condixerant. Si ſubitò apparuerit aurora (Deipara nimirum) arbitrantur umbram mortis (fugat namque illos ſubitò aurea iſta aurora.) Iob 24.

Elephas ſi aliquem deprehenderit aberrantem ad tramitem recti itineris ſtudet reducere, tam pia humanitate eſt conſpicuus: Major in te, ô Virgo Benedicta, aberrant frequenter homines & ſeducti à via veritatis deflectunt: ſed accurris tu Mater perbenigna, manum apprehendis erratici, efficiſque ut ad ſinceræ veritatis tramitem per te reducatur à cunctis errorum involucris expeditus. Lauda illam ô univerſa

creatura pro tam effuſa in homines pietate.

Non ſolùm ab erroribus extricare conatur homines Deipara, procurat inſuper edocere, abſtruſam veritatem detegendo. Sit ergo Stella XXIX. Nomen ejus quare ſit Fiſtula Dioptrica Symbolum explicabit.

FISTVLA DIOPTRICA.

MARIA ERVDIENS.



HAC ASSVMPTA SCIAM.

ARGVMENTVM.

Qui aſſumit fiſtulam Dioptricam qualem non pridem quidam Batavus adinvenit, & per illam ſydera intuetur, ferè illa cognoſcet ad amuſsim, videbitque circa ſolem apparere quaſdam Stellas, ſitum variantes, cernet Stellam Veneris inſtar Lunæ creſcere & decreſcere & alia admiranda, quæ ſolius obtutum oculi effugiunt. Quadrat Deiparæ, ipſa enim demonſtrat multa abſcondita ſuis cultoribus, res docens humanum excedentes ingenium.

DISCVRSVS.

SVdat homo in occultis mundi dignoſcendis, ſed dignoſcere illa difficile, nam abſcondit illa Deus abſcõditus. Hinc illud Sapientis: Et quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore, quæ autem ſunt in Cælis quis inveſtigabit. Sed adeſt modus abſcondita cognoſcendi. Quis? Fiſtula Dioptrica, Virgo Deipara, hac aſſumptâ deprehendes. Totum aperio.

Ioan. 4. Mirabile certè eſt quòd Dominus vili & infami mulieri Samaritanæ aperiat ſublimia myſteria & Trinitatis, nã inibi facit mentionem & Patris & Filii & Spiritus ſancti, pandit & myſterium incarnationis, pandit & gratiæ, lectita hiſtoriam, & quod dico verũ deprehendes. Addo mirabilius & ſeipſũ per eandem Samaritanis annuntiat. Quid impulit Salvatorẽ ad tam abſcondita illi propalãda? In ipſa Hiſtoria annotavi mulierẽ ad aquam è puteo hauriendam accuriſſe, & ex iſto jam myſterium concipio. Puteus Deiparæ typus eſt, juxta illud Cant. 4. Puteus aquarum viventium. Et

Rupertus. Ruper. ſimiliter in 4. Cant. Quia ergo mulier illa ad puteum accedebat, jam deſino admirari tot miranda illi à Salvatore propalata. Nam qui pergit

git ad puteum hunc benedictum, Virginem Deiparam, abſtruſa recognoſcet. Ergo & tu ſi abſtruſa cupis penetrare, ad puteum hunc accedito, mihi crede ſapientiam copioſam apud Matrem ſapientiæ incarnatæ invenies.

Volens deprehendere Eliezer quænam Virgo *Gen. 24.* à Deo eſſet deſtinata ut filio Domini ſui jungeretur, ſtetit ad fontem aquæ. Quid? ergo ſperat ſe abſtruſam rem illam deprehenſurum ad fontem aquæ conſiſtendo? Imò non ſe coniiciat in periculum, potiùs in civitate moretur tempore longiori conſiderans mores puellarum, diverſoſque homines de diverſis virgunculis examinet. Sed melius adinvenit Eliezer conſilium deprehendẽdæ rei tam abſtruſæ ad fontem conſiſtendo. Nam fons Deiparam adumbrat, ut Richar. l. 9. atteſta- Richard. tur. Non eſt autem medium ſecurius, crede mihi, ad perveſtiganda abſcondita quàm adire fontem Virginem Deiparam.

Formaturus Dominus conſortem primo om- *Gen. 2.* nium parenti mortalium immiſit ſoporem in illum, vel ut alii ecſtaſim (de quo vide Cornel. à Lap. in 2. Gen.) Quare antea mentis ecſtaſim paſſus non ſcribitur, ſed tunc demum cùm Eva formaretur? Secundum aliquos Theologos tunc Adamo fuit revelatum magnum incarnationis

myſterium. Ecce propoſitæ reſolutio quæſtionis. Tunc panditur abſtruſum illud Incarnationis Sacramentum cùm Eva de lateris ejus coſta efformatur, ut homo vel hinc recognoſcat abſtruſa fore ſibi revelanda cùm illi adſtiterit Deipara, per Evam juxta D. Ephipha. adver. hæreſ. ſententiam præſignata. Quam producit ergo in lucem res abſtruſas fiſtula noſtra Dioptrica Virgo Deipara.

D. Epipha.

Gen. 16.

Miſſus Angelus ad ejectam ancillam Agar futura illi manifeſtat, nimirum quòd Iſmaël faciendus eſſet in gentem magnam; ſed obſervo hoc manifeſtatum Agar non longè à puteo commoranti. Quare ad puteum commoranti non alibi? Puteus viventis aquæ, ut diximus, Deipara eſt, ſi ad hunc puteum te conferas jam aperientur tibi abditæ ſcientiæ. Imò nec illud Gen. 21. ſine myſterio. Antequam illi puteum aquæ demonſtraret dicitur Angelus vocaſſe de Cælo Agar? Cur etenim additum eſt de Cælo? Cælum Deiparæ typus eſt. Sic appellat illam S. Germ. Conſt. in Pſ. 44. Aqua ſapientiæ: Frequenter aquam hanc ſitibundi inquirimus, ſed diſcernere illam etiam poſitam in proſpectu non poſſumus: ſed Cælum, Deipara Virgo, efficiet ut illam tandem agnoſcamus.

Gen. 21.

S. German. Conſt.

Canti-

Canticorum 5. dicitur, Meſſui myrrham meam cum aromatibus? Quare myrrha metitur cum aromatibus? myrrha ſapientiam abſtruſam ſignificat. Et meritò, nam à corruptione quidem præſervat, verùm inveſtigatio ejus amara eſt & torquens ingenium: Aromata verò Deiparam deſignant, ipſa enim eſt, Richardo libro 12. atteſtante, areola aromatum: ſi igitur vis feliciter metere myrrham, colligere ſcientiam abſtruſam, colligas illam cum aromatibus, cum Deipara, ipſa namque pandet tibi ſecreta ejus myſteria. *Cant. 5.* Richard.

Lucianus veræ Hiſt. l. 1. ſpeculum dicit eſſe maximum puteo appoſitum in inſulis Fortunatis in quod qui oculos defixerit, omnes gentes, provincias, urbes cernet, ac ſi cunctis præſens intereſſet. Non diſputo, utrũ vera an deceptoria ſit hæc Luciani traditio, hoc præſumo, & pręſumo confidenter aſſerere te, ſpeculum tale eſſe ô Domina mea Deipara. O verè mirabilia multa intuetur, qui tibi ô ſuperbenedicta intenderit. Tu enim ô ſapientiæ Mater & diſpenſatrix pãdis abſcondita, & quę nec ingenium, nec labor, nec ſedula inquiſitio indagare ſufficeret, detegis & aperis in momẽto ſedulis tui cultoribus. Pande & mihi ô Domina mea abſconditum illud arcanum quod oculus non

non vidit nec auris audivit, ut terrena vanitas non decipiat mentem meam, ſed totus mentis meæ conatus illi tantùm intendat, illud legat, illud intelligat quod diligentibus ſe Deus præparavit.

Quibus Deus dat uberiorem ſcientiam injungit grandiora juxta illud: Qui addit ſcientiam addit & laborem, unde Moyſi, Abrahamo, & aliis, quia dabat copioſiorem ſcientiam, grandiora quoque demandabat exequenda. Adeſt & hîc Deipara facilitare præcepta ne dura videantur allaborans. Sit ergo Stella XXX. Nomen ejus ſit, Geometriſſa. Quare autem, cognoſces ex illo quod in fine Symboli apponetur.

GEOMETRISSA.

MARIA PRÆCEPTA FACILITANS.



GRAVIA HIC LEVITANT.

ARGVMENTVM.

Neſcio quam onuſtam navem in flumine conſiſtentem huc & illuc aliquot ſolummodo homines attrahere, quæ ſi in ſicco poneretur, etiam tot centenorum vires ad illam attrahendam non ſufficerent. Quadrat Deiparæ, nam ipſa flumen, præcepta navis gratiis & meritis onuſta, qui Virgine Deipara adjuvante illa trahit, experietur facilia, nam facilitabit illa Deipara.

DISCVRSVS.

GEmunt multi, conqueruntur præcepta gravia & ad ſupportandum difficilia dictitantes, ſed falluntur. In rei enim veritate levia ſunt, nam optimus illorum lator DEVS non imponeret jugum durum homini imbecillo. Hinc potiùs dicerem pigritiam illorum non præcepta gravitare, ſunt etenim præcordia illorum ſicut rota carri, cui vel levius fœnum ſi injeceris, gemit, & velut ſub pondere gravi lamentatur, ſed dato non conceſſo, præcepta eſſe graviora, modum ut ſint levia indigito, venite ad Deiparam, ad flumẽ donis cæleſtibus exuberans, ipſa præcepta neſcio quàm graviſſima facilitat. Quod dixi aperio.

3. Reg. 7. Mare æneum in Templo Salomonis reſticula triginta cubitorum cingebatur. Quare reſticula illa mare potiùs cingit quàm aliud? Reſticula ſecundum Gregorium 25. Moral. 8. & Bernardum Serm. de triplici vinculo, præcepta ſignificat, Mare verò fuſile virginem Deiparam, juxta Richard. (Richar.) l. 1. Senten. Hinc patet propoſitæ reſolutio quæſtionis, ſi præcepta experiri cupis facilia & levia, alliga illa mari Deiparæ, reddet enim præcepta facilia ſuis cultoribus.

Mater

Mater filiorum Zebedæi non ſolùm Maria vocabatur, verùm etiam Mariæ Virginis Deiparæ cognata exiſtebat. Quid myſterii? Mater filiorum Zebedæi ſecundum Origenem Hom. 35. ſuper Matth. legem ſignificat, jure ergo cognata eſt Mariæ, nam ut lex divina tibi grata faciliſque videatur, ſis cognatus Mariæ colendo illam impenſiùs & te in ſervorum ejus catologum inſerendo. *Origenes.*

Egreſſo equiti Apocal. 6. & habenti arcum in manu data eſt corona. Quid deinde ſubinfertur? Et exivit veniens ut vinceret. Quare, obſecro, habenti arcum datur corona, detur illi potiùs galea, vel gladius, vel aliud genus militaris armuturæ? Magis illud diſcutio, cur corona confertur egreſſo ad vincendum, nam potiùs poſt agonem ſuperatum tanquam triumphanti erat conferenda. Signate myſterium. Arcus præcepta ſignificat? juxta Auguſt. in Pſal. 17. Corona autem Deiparam, ſic appellat illam S. Bonav. in Spec. B. V. Ergo bene arcum deferenti corona tribuitur, ut inflexionem hujus arcus facilitet. Nam præcepta bajulanti ſi aſſiſtat Deipara proculdubio facilia illi videbuntur. Bene quoque ſubjunctum eſt. Et exivit veniens, quem enim durum hoſtem non ſuperaret arcus præceptorum, *Apocal. 6. S. Auguſt. S. Bonav.*

quando adeſt facilitans illum Deipara?

Exod. 20. Mandaverat Deus Moyſi populo latum intimare legis Decalogum, ſed ſubjunxit, ut ſimul conſtruendi altaris idque ſtatim populum admoneret. Obſecro, Quare in promulgatione Decalogi conſtructio altaris quoque injungitur? Nam duriuſculum fortè apparebit tot ſubitò mandatis populum onerare? Imò Decalogus nullatenus promulgetur niſi & altare appareat. Nam altare

Method. Deiparæ, imago eſt, ſic appellat illam Method. Orat. ad Hyp. præcepta autem ut faciliùs obſerventur adeſſe opitulatricem Mariam eſt neceſſe.

Tabulæ in quibus Lex erat exarata in Arca ſervabantur. Quam ob cauſam non in alio loco

3. Reg. 8. ſed in arca? Arca Deiparæ typus fuit, atteſtante

Ildefonſ. Ildefon. Serm. 1. de Aſſumpt. Iam igitur facilè intelligo rationem legis in Arca aſſervatæ: ut enim legem ad amuſſim cuſtodias in arca, in Deipara, illam collocato. Nam ſi ſuis precibus ipſam complectetur illæſam & immunem à tranſgreſſione conſervabis. Imò & illud libet expendere, cur in arca Lex non ſola ſed cum manna juncta erat? ut colligas te legẽ cum ſuavitate reperturum, ſi in arcæ, in Deiparæ, patrocinio illam locaveris, non ſolùm etenim legem tibi facilem verùm & jucundam dulcemque efficiet. Nam dulcedo per manna poteſt intelligi.

Geo-

Geometriæ ope teſte Athenæo l. 5.c.7. navem Regiam in ſiccum littus eductam & graviùs oneratam ſolus machinis ſuis Geometricis ad ſe pertraxit Archimedes. Res mirabilis, ſed nihil eſt in comparatione potentiæ quam confers ſervis tuis ô Virgo Deipara. Navis Regia præcepta ſunt, nam per illa ad cæleſtis Regni portum deportamur, oneroſa & gravia videntur homini lubrico & tepido, ſed non ſervis tuis, ita enim facilitas illa,ut levi negotio etiam in periculoſis occaſionibus portent illa. Benedictus ſit omnipotens pro collata hac tibi & gratia & pietate.

Dum hominem videt Deipara, duriora promptè exequentem præcepta, varias ipſi benedictiones conatur procurare : Sit ergo Stella XXXI.Nomē ejus Vncinus aureus,Quare Vncinus explicabit Symbolū,Aureus ideo,quia ex pura charitate (per aurum enim charitas deſignatur juxta illud Apocal. 3. Suadeo tibi emere à me aurum) hoc exequitur. Nam qui ſumus ut talia præſtet nobis ?

VNCINVS AVREVS.

MARIA ATTRAHENS. BENEDICTIONES.



FERT QVODCVNQVE PETO

ARGVMENTVM.

Vncinum ſi teneas, quodcunq; tollere pomum popoſceris, tibi porriget. Quadrat Deiparæ. Nam ex arbore illa magna paſtum toti orbi terrarum miniſtrante, Deo nimirum benedicto, quodcunque benedictionis pomum appetieris, porriget tibi precibus glorioſis uncinus hic aureus.

DIS-

DISCVRSVS.

HOrtus ille Cæleſtis innumeris benedictionum pomis eſt refertus. Gignit poma Solis & Lunæ amorem Dei & proximi, gignit poma punica patientiæ ſalutaris, gignit poma aliarum virtutum & gratiarum pulcherrima. Hæc poma exoptanda dantur hominibus, ſed non omnia cuilibet, nam diviſiones gratiarum ſunt: vis plurima tamen obtinere? Vncinum aureum aſſumito, Virginem Deiparam, ipſa feret quodcunque petieris. Hoc tantiſper aperio.

Simulatque pius David in Regem oleo eſt inunctus, Spiritus Domini in eum eſt directus. Non dubito per Spiritum ſanctum omnem benedictionem Dei poſſe intelligi. Nam eſt fons & principium omnis benedictionis effuſæ in homines. Hoc examino cur à die unctionis eſt directus in eum, nam & ante unctionem juſtus cùm fuerit, conſequenter jam Spiritus ſanctus in illo morabatur, cur igitur velut ſingulare adnotatur, directus eſt in eum à die unctionis? vel oleum quo unctus eſt Spiritum Domini trahit ſecum? Ita ſane. Nam per oleum Deiparam poſſumus accipere, ſic appellat illam S. Ambroſ. 13. de Inſtit. Virg. 1. Reg. 16. Ambroſ.

Virg. Cujus autem caput fovet Deipara, jam Spiritus Domini portans innumera chariſmatum dona in ipſum delabetur. Sit igitur oleum iſtud ô homo in tuo capite per frequentem Deiparæ recordationem, & benedictiones Domini affluenter illud cumulabunt.

Gen. 15. Abrahamo antequam benedictionem promittat Omnipotens, priùs foras eductum Cælum jubet ſuſpicere. Ad quid, obſecro, Cæli præcedit intuitus benedictionem promittendam? Cælum Deiparæ typus eſt S. Germ. Conſt. in Pſalm. 44. atteſtante. Noli ô homo, noli à Domino benedictionem expectare, ſi hoc Cælum negligis ſuſpicere, erige priùs oculos ad Cælum iſtud, petendo, invocando, & tunc conferet tibi omnipotens benedictiones largiſſimas in gratiam precum ejus.

S. Germ. Conſt.

Incarnatio Dominica pluvia nuncupatur à David. Deſcendet, inquit, ſicut pluvia in vellus. Suppono incarnationem verbi omnes benedictiones Dei attraxiſſe, juxta illud Apoſtoli Rom. 8. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit. Hoc ſuppoſito jam inquiro, quare incarnatio omnium benedictionum apportatrix pluvia nuncupatur? Pluviam nubes adfert. Ecce intelligentia quæſtionis. Pluvia incarnationem, fontem omnium benedictionum, nubes teſte S. Ambroſio

Pſal. 71. *Rom. 8.* *S. Ambroſ.*

ſio Exhort. ad viduas, Deiparam adumbrat. Non accipies, ô homo benedictiones per incarnationem invectas niſi nubes Deipara ipſas perbenignè demiſerit.

Cogitare David de templo extruendo vix cœperat, & eadem nocte omnipotens Nathan prophetæ apparuit, præcepitque ut largas benedictiones à Deo conferendas ipſi prænuntiet. Quare ſubitò benedictio non promiſsio cogitationẽ illam ſubſequitur? Templum illud Deiparæ typus fuit, ut aſſerit S. Bonav. in Laud. B. V. Iam non miror benedictiones Davidi intimari, ſimulatque enim homo inducit in animum Deiparæ memoriam ſubitò benedictiones Dei cum eadem memoria inducuntur, tam potens eſt in benedictionibus attrahendis Deipara. 2.Reg.7. S.Bonav.

Pergenti in Meſopotamiam Iacobo ſcala in ſomniis apparuit. Quare potiùs non apparuit redeunti, ſed eunti, ſtatuerat Dominus in Meſopotamia benedictionibus Iacobum cumulare, ſed antequam illas conferre incipiat priùs monſtrat ſcalam, quæ juxta D. Bernard. Sermon. in Nativitat. B. V. typus erat Deiparæ, ut diſcamus priùs illam advocandam ſi volumus benedictionibus Divinis cumulari. Gen.28. S.Bernard.

Imò neque caret myſterio non Iacobo ſed ma-

tri ejus Rebeccæ inſpiratum ut filius benedictionem paternam reciperet. Rebecca enim Deiparam deſignat. Teſte Richard. l. 2. Ipſa ergo, ipſa eſt, quæ Divinas benedictiones trahit ad nos. Imò ſi bene Scripturam evolvimus, Iacob ditatum non legemus niſi poſtquam Racheli ſociatus deſcribitur, ut vel hinc colligamus Deiparam, cujus Rachel, juxta Richard. l. 4. imago eſt, divitias benedictionum ſecum apportare.

Richar.

Indi habent piſcem nomine Reverſum, teſte Oviedo. Hunc ad navem tenent fune alligatum, & cùm piſcem quempiam capere deſiderant, Reverſum ad capiendum illum expediunt, qui ſubitò ad inſtar ſagittæ excurrens velociter piſcem aſſecutũ implicat pelle ſua, quam in modũ magnæ crumenæ natura apposuit in ejus occipite, ſicque implicat tenaciter ut nulla ratione elabatur. Celerior tua eſt promptitudo ad capiendas benedictiones Dei ô Virgo Deipara, efficaciorque vis ad detinendas. O verè felix qui te tenuerit ô Beata, profectò obſecrabit te tantum ut hanc vel illam benedictionem Dei obtineat; & ſubitò tu evolans apprehendes & deferes, & non invenitur quæpiam tam ab homine elongata quam excurrens non aſſequaris. Adſis, obſecro, & mihi ô Virgo benedicta, & attrahens apporta benedictiones

magni

magni Dei, illas nempè benedictiones quæ dictant animum & promovent ad ultimam illam conſequendam, quam ſitibundi expectamus, cùm dicetur nobis. Venite benedicti patris mei percipite regnum quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.

Benedictiones Divinas dum homo conſequitur ruinam extimeſcat, eamque non ab hoſte ſolùm ſtruente inſidias verùm etiam imò præcipuè à ſuperba gloriola, quæ ex bonis præcipuè gigni ſolet. Studet Deipara ab hac ruina præſervare, ſit ergo Stella XXXII. Nomen ejus Cinis ſalvificus. Quare? Vide Symbolum.

CINIS SALVIFICVS.

MARIA A RVINA PRÆSERVANS.



FIRMABIT GRESSVM.

ARGVMENTVM.

Per glaciem ut ſine prolapſione queas incedere ipſam cineribus ſparſis contegito, hi etenim efficient ne officiat ejus lubricatus. Quadrat Deiparæ, nam cinerem meritò Deiparam nuncupabo propter profundam humilitatem, ejus enim typus Cinis eſt. Hic igitur Cinis benedictus firmat greſſus noſtros ne labamur in lubrico mundi hujus.

DIS-

DISCURSUS.

NIhil firmum in terra, omnia ſunt lubrica: Nec mirum, totus mundus fundatus eſt in aquis, ac proinde totus eſt lubricus. Lubricus & propterea quia glacies texit illum, nam refrigeſcente in ipſo charitate quid aliud ſubſequi eſt neceſſe, niſi gelu glaciemque peccati. Addo & tertiam lubricitatis ejus cauſam. Quam? Crocodilus dicitur aquam in vias evomere, & hoc ideo facit aſtuta beſtia, ut homines feritatem ſuam fugientes dum labuntur capiantur. Quod molitur Crocodilus, molitur & infernalis crocodilus dæmon improbus, effundit aquam voluptatum concupiſcentiæ, ut omnia per quæ homines gradiũtur, itinera, ſint lubrica, ex quo mundum lubricũ eſſe jam apparet. Sed ſit providentia Dei benedicta, Cinerem nobis conceſsit greſſus confirmantem. Quem? Virginem Deiparam: Hoc oſtendo.

Ante judicium quamdiu Sol & Luna non dicuntur obſcurari, nec ſtellarum de Cælo caſus, nec virtutum cæleſtium commotiones aſſeruntur. Quare non cadunt Stellæ, ſimulatque pronuntiantur obſcurati & ruina Stellarum ſubinfertur. Obſecro quare Stellæ non decidunt ante ſolem & *Matth.24.*

lem & Lunam obſcuratos ? Sol & Luna juxta S.
S.Bernar. Bernard. Serm. 3. in Salve Regina, Deiparam adumbrat. Noli, ô homo! noli ruinam metuere, quamdiu lucet in te, quamdiu non obſcuratur in te Deipara, ſed ſimulatque abſcondere incipit à te vivificum lumen ſuum, jam exhorreſce, non eſt enim qui teneat lubricos greſſus tuos.

Gen. 17. Promittit DEUS Abrahamo filium in ſenectute, ſimulque cum illo benedictiones ſingulares. Quid Abraham? Cadit in terram. Quare cadit? & quare in terram cadit? Dum Omnipotens alicui gratias elargitur ſpeciales conſurgit vana gloria ut ſtruat inſidias, conaturque in diſcrimen per illa adducere quæ homini ad ſalutem collata ſunt. Vis prolapſionem evadere? Abrahamum imitare, cade in terram, confugito ad Deiparam,
S. Auguſt. ipſius enim terra imago eſt, S. Auguſt. in Pſalm. 64. atteſtante: Ad illam ſi confugeris, vanæ gloriæ ruinam aliamque quamlibet effugies.

Luc. 10. Miſericordiâ motus miſericors Samaritanus vulneribus infudit oleum à latronibus ſauciati: Quam ob cauſam oleum infundit, nam quid oleo cum vulneribus? Graviter vulneratus in lubrico valde eſt conſtitutus, nam in continuo vita ejus verſatur diſcrimine: Ecce olei vulneribus infuſi rationem. Cupiebat Samaritanus miſericors vulneratum

neratum paſſum mortis lubricum ſine prolapſione pertranſire, & ideo oleo firmat vitam ejus: Nam oleum deſignat Deiparam (ſic appellat illam S. Ambroſ. 13. Inſtit. Virgin.) Hæc enim in lubrico poſitis ſi adjungatur, omnem periculorum prolapſionem evitabunt, à benigna hac matre obfirmati. S. Ambroſ.

Colligo ex ſacro textu Noëmum tempore diluvii in arca latitantem ad feneſtram ejuſdem arcæ conſtitiſſe. Quid in hoc myſterii? Suppono grandis ruinæ periculum tunc Noëmo impendiſſe: Nam pereuntes amicos, cognatos, ſuamque ſubſtantiam intuendo periculum erat contra DEVM murmurandi, eò quòd non conceſſerit amicos intra arcam recipere, intra quam & bruta animantia ſunt admiſſa. Hoc ſuppoſito jam agnoſco myſterium. Feneſtra Deiparæ typus eſt, nam per illam Lux cæleſtis, ad noſtram hujus exilii domunculam introivit, nempe Chriſtus. Et inſuper aſſerit Richard. l. 10. Non igitur, non fruſtra juſtus Noë conſtitit ad feneſtram in lubrico tentationis conſtitutus. Qui enim ad Deiparam accurrerit ruinã pertimeſcẽs, etiamſi neſcio quàm ſit lubrica, vim ejus & inſidias evadet feliciter. Richard.

Mariâ demortuâ ad aquas contradictionis peccat Moyſes. Quare non permiſit labi Moyſen Num. 20.

Maria

Maria in vivis exiſtente, ſed poſt ejus ex hac vita diſceſſum? Quare non permiſit Deus illum peccare? Maria illa figura fuit Virgin. Deiparæ juxta Lauretum in Sylva allegor. Non ſcribitur ergo Moyſes deliquiſſe Maria ſuperſtite licèt in gravioribus tentationibus verſaretur, ut hinc colligamus Mariam ſuis precibus à ruina illos præſervare cum quibus ad terram promiſsionis progreditur. Ergo & tu ne in hoc lubrico labaris itinere, ſine Maria firmatrice progredi non præſumas.

Sylva Allegor.

Apuſcidamus lacus eſt in Africa, in quo omnia extant & nihil mergi poteſt teſte Plinio l. 31. cap. 2. Typus tuus eſt ô Virgo ſuperbenedicta lacus iſte. Omnes enim ad te venientes naufragium non timeant, conentur quantum vis ſuſcitare ſævos fluctus, inimici ruinas intentent varias, etiam violenter conentur illos ſubmergere non permittes tu ſed ſemper attoles, ac ab omni ruina reddes immunes ac tutiſsimos. Vtinam ô Virgo omnes ad te confugiant, profectò nullum ruinæ experientur periculum.

Venit hic etiam mihi in mentem illa Hiſtoria quam recitat Ælianus l. 12. cap. 21. de animalibus. Ejectus eſt ab arcis cuſtodibus puellus, quem in ergaſtulo filia Sacchoræ Babyloniorum Regis furtivè

furtivè pepererat. Et ecce aquila prætervolans, viſo infantuli caſu, priuſquam terræ allideretur ſubvolat, dorſoque exceptum incolumem in quendam hortum deportavit. Dubitat de hujus veritate Ælianus: Sed hoc in dubium quod dicam, tu Virgo ſuperbenedicta talis es aquila, jam lapſui frequenter homo miſer appropinquat, jam graviter collidendus quaſi ruit, advolas tu ſubitò, alas tuæ protectionis ſupponis, & ecce ille qui gravi lapſu jam ruere videbatur ſine prolapſione manet incolumis, & quem extinguendum brevî putaſſemus, cernimus integrum, & nec ullũ imminentis ruinæ in ipſo deprehendimus periculum. Non ceſſa, non ceſſa, ô Virgo, tam piam erga omnes monſtrare curam tuam, omnes enim currimus in lubrico, & continuò inter imminentes ruinas incedimus.

Non ſolùm bonis, verùm etiam & magnis peccatoribus Deipara, firmamentum hoc benedictum exhibet influxus beneficiorum ſuorum, inter quos primus eſt induratum cor illorum ad pœnitentiam emollire. Sit ergo Stella XXXIII. Nomẽ illius quare Cæleſte ſit Mortarium Symbolum explicabit.

CÆLESTE MORTARIVM.

MARIA COR DVRVM EMOLLIENS.



DVRA MOLLESCENT.

ARGVMENTVM.

Res duriſsima lapis eſt, quando tamen contunditur in mortario mollis erit ejus pulviſculus. Quadrat Deiparæ, durum cor hominis peccatoris ſi aſſumpſerit in ſuam tutelam molliſsimum efficiet.

DIS-

DISCVRSVS.

INter difficilia maximè puto difficile induratum cor peccatoris emollire: Nec mirum, video namque Apoſtolicos concionatores tot media ad illud emolliendum adhibere, nil tamen efficiunt, jam imbribus eloquii Divini alluunt, jam minis, jam futuræ beatitudinis promiſſis quatiunt: tamen illud velut ſaxum in medio fluctuũ quò magis percutitur magis induratur. Sed invenio ego modum ut duritie depoſitâ molliantur. Eſt mortarium unum in quo neſcio quæ duriſſima evadunt mollia. Iſtud mortarium eſt Deipara, ubi enim illa aſſumpſerit cor duriſsimi quamvis peccatoris, molle & tractabile nimis reddet. Oſtendo.

In tabulis lapideis quas ad Iſraëlem Moyſes deferebat ſcripta erat Lex digito Dei vivi. Miror & nimium miror quare in lapide digito ſcripta lex aſſeratur. Quis enim adeò mollem vidit lapidem ut in eo digito literæ valeant exarari? Durus erat ille lapis, ſed mollem ſe exhibuit ſcribenti. Et non mirum, nam portatus erat in montem ad typum Deiparæ, ſic appellat illam S. Gregor. 1. Reg. 1. ubi enim duratus ad Deiparam ap-

Exod. 31.

S. Gregor.

 portatur

portatur jam ilico emollitus comparebit.

Ezech. 1. In curru,quem vidit Ezechiel, facies leonis erat facies hominis. Quomodo? res enim ſunt pugnantes leo & homo?Noli admirari leonem velut hominem apparere, nam currui junctus erat,currui gloriam Domini apportanti, & ideo leonem durum licèt, currus emollivit, effecitq; ut ex fero & implacabili fiat homo humanus nempe & benignus. Per currum namque illum Deipara ſignatur, & merito, nam incarnationem Dominicam, quæ gloria eſt Domini, apportavit. Felix ergo induratus ſi huic currui benedicto inſerviat.

1.Reg. 24. Perſequebatur Saul Davidem innoxium, verùm ad ſpeluncam Engaddi adveniens cor ſentit emollitum, benignè enim Davidem alloquitur. Quare dum venit in Engaddi emollitum eſt cor ejus? In Engaddi erant vineæ umbræ Deiparæ, Cant. 1. nam ex illa prodiit botrus ille Cypri in vineis Engaddi Cant. 1. CHRISTVS nimirum Salvator. Iam tenemus myſterium, quare in Engaddi cor Saulis emollitur, ubi namque durus ad Deiparam devenerit omnino duritie depoſitâ cor ipſius fiet molliſsimum.

Gen. 28. Poſt viſam in ſomniis ſcalam pius Iacob effundit oleum in lapidem. Quare poſt conſpectam

ſcalam

ſcalam non antea ? Lapis peccatorem deſignare poteſt,nam cor ejus lapideum eſt. Sed felix es ô lapis duriſsime, ſi ſcala benedicta Deipara, (per hanc enim teſte S. Bonav. in Laud. B. V. deſignatur) te inviſerit, profectò ſacroſancto compunctionis oleo à Domino perfunderis. S.Bonav.

Inter alia Canalis Deipara appellatur. Quare? Sub canali lapis depoſitus etiamſi duriſsimus cavatur & emollitur: Ecce ergo quàm meritò Deipara canalis nuncupetur, verè namque duritiem deponit cor lapideum, ſi Virgo Deipara influxu ſuæ miſericordiæ illum petierit.

Gregorius 9. Pont. teſte Fulgoſo l. 8. cap. 10. aſſumens Capita SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, & voce lachrymabili reliquias ſanctorum populo commendans, ita illos emollivit, ut qui ante rebelles hoſteſque exiſtebant contra Fridericum arma arriperent. Magnam vim impreſſerat Deus verbis iſtius Pontificis, ſed majorem impreſsit tibi ô Virgo benedicta. Non eſt enim inveniri peccatorem ita induratum ut ſubitò non moleſcat ſimulatque tu cor ejus ſaxeum aſſumpſeris. Non deſine rogamus, ô Virgo,in emolliendis illis laborare, ſed luſtra totum orbem & ſi quempiam hoſtem Dei conſpexeris, urge illum ut reſipiſcat, quandoquidem vim obtines ad emolliendum

liendum cor neſcio quàm maximè induratum.

Cùm emolliverit cor peccatoris Deipara, ſuis interceſsionibus, jam procurat in illud Deum attrahere; ſit ergo Stella XXXIV. Nomen ejus Magnes.

MAGNES.

MARIA DEVM AD NOS TRAHENS.



ADDVCO PVLCHRVM.

ARGVMENTVM.

Prodromus Solis eſt aurora, ſimul ac comparuerit, comparebit & Sol, quaſi enim trahit illum ſecum aurora, & ideo quaſi dicit aurora, adduco pulchrum Solem. Quadrat Deiparæ, nam in illam animam in quam advenerit introducet & ſolem juſtitiæ verum Deum.

DIS-

DISCVRSVS.

NEmo putet Deum facilè inveniri, ſolicitè ipſum ſponſa per plateas & vicos civitatis inquiſivit & invenit cum labore. Si ſponſa vix invenit quantò magis vilis ſervus? Sed medium invenio Deum facilè attrahendi. Magnetem aſſumito Virginem Deiparam: Hunc magnetem in corde reponito & Deum attractum quoque invenies.

Gen. 81. Ad Abrahamum in convalle Mambre commorantem venit Omnipotens. Quare, obſecro, ſacer textus tunc manſiſſe Abrahamum in cõvalle adnotavit? Per convallem Deiparam interpretari poſſumus, in ipſa namque enatum eſt amabile illud lilium convallium Chriſtus Ieſus. Sic inſuper appellat illam Richar. l. 8. Ergo jam agno-
Richard. ſco, cur tunc adveniſſe Dominum ſignatum ſit, qui etenim in convalle, in Virgine Deipara, commoratur, jam Dominum adventantem præſtoletur, nam attrahet illum Deipara.

Gen. 32. Dum redibat Iacob de Meſopotamia venit Dominus ut cum illo colluctetur. Quid adeo placuit tunc Domino in Iacobo ut dignetur amplecti ipſum colluctando? Redibat tunc temporis Iacob

cob cum Rachele quæ fuit typus Deiparæ ſecundum Richar. l.4. Sententiarum. Hocpellexit Dominum, hoc attraxit, ut colligas felicem illum eſſe cum quo Deipara progreditur, nam accurret & Dominus precibus ejus advocatus, & non ſolùm accurret, verùm etiam benedictionem dabit copioſam ut cernere eſt in Iacobo. Richard.

Moyſi oves in deſerto paſcenti Dominus in rubo apparuit, dixitque: Deſcende &c. Quare non deſcendit ad Moyſen alibi commorantem, ſed dum eſt in deſerto? Deſertum Deiparæ imago eſt, ſic S. Bonav. in Spec. B. V. Ergo ideo ad Moyſen morantem in deſerto acceſſit Omnipotens, ut oſtenderet benedictum deſertum, Deiparam, vim habere ipſum attrahendi. Quàm beatus ergo eſt homo morans in hoc deſerto ſalutari. *Exod.* 3. S. Bonav.

S. Patriarcha noſter Elias 3. Reg. 19. perrexit in montem Dei Horeb. Perrexerat & Dominum videt in ſibilo auræ tenuis gradientem. Quare non alibi adventat Altiſſimus vt Eliæ viſendum ſe exhibeat cùm cuilibet loco ſit intimus ac proinde in quolibet poſsit apparere? Mons juxta S. Gregor. 1. Reg. 1. Deiparæ imago eſt, ac proinde dum Eliam in monte viſitat conſtitutum nos admonet ut ad Deiparam properemus ſi in hoc 3. *Reg.* 19. S. Gregor.

monte ſanctiſsimo morabimur, venientem Dominum videbimus nam attrahet illum potens Deipara.

Exod.34. Aſcenderat Moyſes ad Dominum in montem Sinai. Quid Dominus? deſcendit per nubem. Quare obſecro per nubem? Nubes Deiparam deſignat, ſic appellat illam Richard. lib. 7. Et meritò, nam ex hac nube pluviam illam accepimus, nempe Chriſtum, de quo dicitur: Deſcendet ſicut pluvia in vellus Pſal. 71. En ergo myſterium. In nube deſcendit Altiſsimus, ut oſtenderet ſe nolle ad nos devenire niſi nubes Virgo Deipara trahat illum.

Richard.

Pſalm.71.

Nec illud caret myſterio, Spiritum ſanctum in diſcipulos deſcendiſſe in die Pentecoſtes manentes cum Maria, quaſi inſinuans Deiparam Deum ad nos attracturam.

Pſal.143. S.Germ. Conſt. Omitto & illud Pſalmiſtæ Pſalm. 143. Domine inclina cælos tuos & deſcende, quaſi aliter nolit ad nos deſcendere Dominus niſi priùs Cælum ad nos declinet Virgo Deipara, quæ Cælum eſt, S.Herman. Conſt. in Pſ.44. atteſtante.

Omitto & illud non in alium locum deſcendere ſolitum Omnipotentem ad colloquendum cum Moyſe niſi in monte, reſponſaque non dare niſi in tabernaculo, quod utrumq; typus eſt Deiparæ,

paræ, quaſi nolit accedere niſi ad Mariæ aſsiſtentiam.

Alexander Magnus teſte Strabone l. 16. volens experiri an genus bituminis, cui naphta nomen eſt, & naſcitur juxta Babylonem, ignem ad ſe, ſi homo illo liniatur, attraheret, puerum quendam illo obliniri juſsit. Ros mirabilis, ſubitò puerum flamma complexa eſt, & proculdubio conſumpſiſſet niſi alumine flammæ vis ſiſteretur. Quorſum hæc? ſcimus, ô Domina, Deum noſtrum ignem eſſe conſumentem quidem, ſed vitalis iſta eſt conſumptio, verùm rarus invenitur ad quem currat ignis hic ſalutaris: Verumtamen ſecretum didicimus, ad ignem hunc attrahendum tuus favor, ô Domina noſtra, nos obliniat, ſimulatque enim conſpexerit quempiam illo oblinitum accurret illico, complectetur amabili flammâ ſuâ, & quamdiu tui favoris litura perdurabit, tādiu non recedet. Eja ergo ô Virgo benedicta oblinias & me miſerum deſideratiſsimo favore tuo, ut etiam ignis iſte cæleſtis Hieruſalem, me invadat & ſuo complexu ſalutari ambiat circumdatum.

Attracto ad hominem Deo, ſalutis ejus cauſam agit ne pereat, patrata ob peccata ſatagendo: ſit ergo Stella XXXV. Nomen ejus ſit Rupes ſubveniens. Rationem ſymbolum miniſtrabit.

RVPES SVBVENIENS.

MARIA SALVTEM PROCVRANS.



NON PEREO SI PERGO.

ARGVMENTVM.

Homo naufragans in mari non peribit ſi rupem ad quam confugiat invenerit. Quadrat Deiparæ, nam in mundi hujus mari naufrago homo non peribit ſi ad hanc rupem ſalutiferam recurrerit.

DIS-

DISCURSUS.

Salus hominis ſemper eſt naufraga. Nec mirum, intra illum peccati fomes eſt continuè, turbulentam ſuſcitans cupiditatum tempeſtatem, quæ ſalutem nititur ſubmergere, vis ô homo ex hac tempeſtate incolumis emergere? Rupem tibi ſalvificam indigito? Quam? Virginem Deiparam. Ad hanc recurrere allabora & in tuto ſalutem tuam collocabit. Auſculta.

Volebat Dominus interficere Moyſis filiolum ſed obviat Sephora iræ ejus puerulum circumcidens. Quare Sephora circumcidit puerum non Moyſes ſicut & Abraham ſuum circumciderat, ſuppono circumciſionem illam puerulo ſalutem peperiſſe: hoc ſuppoſito jam in promptu reſolutio quæſtionis, Sephora puerulo ſalutem procuravit; nam Sephoram typum fuiſſe Deiparæ poſſumus aſſerere. Et meritò nam filius ejus ſponſus ſanguinum appellatur. Quem autem Deipara ſub ſuam protectionem ſuſceperit, in tuto ſalus ejus remanebit. *Exod.* 4.

Mœſtæ Agar ob filium Iſmael penè morientem præ ſiti Angelus aquam demonſtravit. Quare, obſecro, non Angelus ipſe potum miniſtrat *Gen.* 21.

 puerulo,

puerulo, quandoquidem Deus ipſum miſit ne mori puerulum ſiti permitteret? quare ergo relinquit hoc Agar Matri ejus, Agar Saræ ancilla erat,
S.Bonav. illius Saræ quæ D. Bonavent. in Spec. B. V. atteſtante typum geſsit Deiparæ, & ideo Agar pueruli vita procuranda per aquæ miniſterium committitur, ut colligas etiam ſervos Deiparæ frequenter hominibus ſalutem procurare. Argumentor. Si ſervis Mariæ hoc collatum, quantò magis Dominæ illorum Virgini Deiparæ.

1. Reg. 4. Heli tunc cadit & moritur, cùm arcam Philiſtæi Iſraelitis abſtulerunt. Quare non moritur Arca in Iſrael habitante ſed ablata? Arca Dei-
S.Bernard. paræ typus fuit ſecundum S. Bernard. in Serm. B. V. Non igitur admiremur vitam Heli conſervatam quando Arca degebat in Iſraël, etiamſi domus Heli extinguenda prædiceretur per Samuelem. Quamdiu enim adeſt alicui arca iſta benedicta Virgo Deipara vivet incolumis, nam ſalutem ejus detinebit. Sed ubi receſſerit jam mortem, jam ſalutis ô homo diſpendium præſtolare.

Dan. 6. Os laci in quem Danielem ſceleſti conjecerant Rex annulo ſuo obſignavit? Cur obſecro ſacer textus annulo os laci obſignatum velut rem ſpecialem adnotavit. Per Annulum Virginem Deiparam deſignatam piè poſſumus aſſerere,

nam

nam in hoc Regali annulo incluſa erat gemma illa pulcherrima Chriſtus Deus. Et amplius, quia ſicut annulus eſt veluti digito deſponſatus, ſic illa Spiritu ſanto qui digitus Dei appellatur: Ergo annulus os laci obſignans ſalutẽ gignit Danieli, cujus diſcrimen magis ab infenſis Danieli Chaldæis quàm à Leonibus imminebat, ut hinc diſcas Deiparæ protectionem æſtimare. Nam ſi tuam ſalutem tutandam ſuſceperit, nec Leones infernales, nec diræ paſsiones poterunt illam in diſcrimen adducere.

Exod. 14. Perſequebatur Pharao Iſraelitas, & ecce dum adeſt vigilia matutina Caſtra Ægyptiorum Dominus interfecit. Quare affulgente Vigilia matutina? Dum affulget vigilia matutina aurora appropinquat. Cerniſne myſterium? Aurora Deiparæ typus eſt, Bernard. Serm. 33. in Cantic. atteſtante: ô Homo quàm felix es ſi benigna hæc Aurora tibi in ſubſidium appropinquet. Egrediatur cum tota poteſtate Pharao infernalis, perſequatur, ſpolia detrahere meditetur, adventante huc benignâ aurorâ ſalus tua in tuto mirabiliter reſplendebit, hoſte ſuffocato: urgebit namque Altiſsimum ut conſurgat & adverſarios te inſequentes durè percutiat. S. Bernard.

Valeria Luperca teſte Ariſtide l. 9. Italic. ex Oraculo erat Iunoni immolanda, ad peſtem averrun-


averruncandam. Et ecce devolat aquila, cultrumque victimarium abripiens, buculæ juxta templum paſcenti infigit. Attulit ſalutem miſeræ huic benigna hæc aquila, ſed & tu ô Virgo ſuperbenedicta in hoc munere, occuparis, ut ſalutẽ procures, ô quot ad mortem ſubeundam deputati per te aquila miſericors ſalutem obtinuerunt fere deſperatam, quot è facie Barathri per te incolumes evaſerunt? Miſerere mei ô Virgo piiſsima & meæ ſalutis piam curam ſuſcipito: Nam & ego culpa mea toties in diſcrimen illam coniicio.

Vt ſalutem peccatoris efficaciter procuret Virgo Deipara, è carcere pravarum conſuetudinum ſatagit illum educere, ſit ergo Stella XXXVI. Nomen ejus Feneſtra? Quam ob cauſam. Symbolum conſulito.

FENE-

FENESTRA.

MARIA CAPTIVOS ELIBERANS.



IPSA DIMISIT.

ARGVMENTVM.

Concluſa in quopiam cubiculo avicula exultat ſi feneſtram conſpexerit adapertam. Nam feneſtra adaperta dimittit captivatam. Quadrat Deiparæ, nam ipſa eſt quæ dimittit occluſos in conſuetudinis peccandi ergaſtulo.

DISCVRSVS.

AVicula homo eſt ut ad cælum volitet efformata, ſed frequenter miſera hæc avicula capitur, & in carcerem reconditur. Captivat ipſam peccandi occaſio, captivat prava alicujus delicti conſuetudo, ſed conſurge ô avicula, & reſpice feneſtram, Virginem Deiparam, roga ut dominus miſericordiam ejus erga te aperiat. Nam ubi illa aperuerit ſolvit ilico vincula colli tui. Et vide.

Conjectus in carcerem Daniel primo dilucu-
Dan. 6. lo ex illo educitur. Quare primo diluculo? Diluculo veniente exoritur aurora quæ typus eſt
S. Bernard. Deiparæ, juxta S. Bernard. Serm. 33. in Cant. Bene ergo Daniel educitur è carcere ad exortum Auroræ, ubi enim affulſerit aurora, Virgo Deipara, jam carceres ſtant aperti, jam captivi ad libertatem educuntur.

Gen. 41. Vidit Pharao in ſomno fluvium. Quid poſtmodum? Ioſeph è carcere educitur. Inquiro quare fluvii intuitum eductio Ioſephi ſubſequitur? vel fluvio apparente ergaſtulum concluſos nequit amplius detinere? Ita ſanè. Nam fluvius Deiparæ
S. Bernard. imago eſt S. Bernard. Ser. 3. in Sal. Regin. atteſtante, ô verè hoc fluvio apparente carceres non ſubſiſtunt, ſed coguntur vinctos gratæ reddere libertati.

libertati. Nam Virgo ſuperbenedicta conterit illorum vectes, educitque ligatos, pravâ conſuetudine precibus ſuis profligatâ.

Orationem Ionæ quam fundebat in ventre ceti velut in carcere exiſtens dum expendo, video quia ſimulac protulit illa verba: Vt veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum, Ionæ 2. eiicitur in aridam. Quare mentione templi facta, ſubito è carnoſo carcere piſcis educitur. Templum illud Deiparam deſignabat, ut author eſt S. Bonav. in Lau. B.V. Hæc ratio eſt igitur, cur ſubitò exeat Ionas de carcere. Nequit enim tam validus carcer inveniri, qui ſubitò vinctum non dimittat, ubi ad Templum hoc ſanctiſsimum pia fuderit ſuſpiria. Nam ſubitò accurrit benedictum hoc templum & vinculis diſruptis educit abſolutum. Ionæ 2. S. Bonav.

Indignatus tam Holofernes quàm Magnates ejus contra Achior diſſuadentem ne temerè pugnare contra Iſraëlitas præſumerent, mandat ipſum in Bethuliam deducere, ſi ſtomachum illis movit, quare non occidit ipſum feritas Barbarica, ſed alligat arbori ſolummodo? Imò hoc magis examino, quomodo Bethulienſes audent ad ſolvendum Achiorem deſcendere, nam poterant ſuſpicari in hoc aliquas latitare callidi hoſtis inſidias? Iudith 6.

dias? Suppono in Bethulia fuiſſe caſtam Iudith figuram Deiparæ, D. Bona. in Lau. B. V. atteſtante: Ecce jam apertum cerno myſterium. Non jam diutiùs Achior colligatur, nam ad locum, in quo fuit umbra Deiparæ, devenerat, ſi igitur & tu duriſsimis gemis ſub vinculis, ad Iudith, ad Deiparam, deducitor, & vincula cuncta, te dimiſſo, confracta diffugient.

S. Bonav.

Hieroſolymis Paſchate veniente dimittebatur vinctus ſacroſancto Evangelio atteſtante. Quare alibi hoc non legimus factitatum, ſed tantùm in Hieruſalem? Hieruſalem typus eſt Deiparæ ſecundum Richard. de S. Laur. l. 11. ubi autem adeſt Deipara, ibi neceſſe eſt captivos liberari: Nam captivos dimittere cõmiſſum eſt Deiparæ.

Richard.

Conjecerat Baſilius Macedo Imperator Leonem filium in carcerem, teſte Zonara in Baſilio Macedone, & ecce dum cum ſenatoribus accumbit menſæ, pſittacus cœpit exclamare, ô Leo, Leo! audiverat enim pſittacus prædicta verba à ſervo quodam, qui Leonis deplorans vicem ingeminabat, ô Leo, ô Leo! Tum ſenatores arrepta occaſione ex gemitu aviculæ pro ſalute filii deprecantur & impetrant. Quid aliud tu facis ô Deipara Virgo, coniicitur miſer homo in carcerem, vel pœnæ vel pravæ conſuetudinis inolitæ eò quòd fuerit

auſus

auſus contra Devm parentem ſuum peccando, inſurgere. Sed tu ubi emittis deprecantem vocem tuam, ſtatim miſericors pater ignoſcit delinquenti, ſolvit eum à peccati vel pœnæ ergaſtulo, & amoto ſqualore carceris grata filiorum donat libertate. Sis in ſæculum pro tanta pietate benedicta.

Paſsiones quæ hominem peccatorem in carcerem pravarum conſuetudinum conjecerant, ad bonum Deipara convertit moderando, efficitque, ut quæ illi nocumentum adferebant, adferant poſtmodum magnum bonum nempè meritum, ſit ergo Stella XXXVII. Nomen ejus quare Theriaca Symbolum vide.

THERIACA.

MARIA MALA TRANSMUTANS IN BONA.



NOXIA PROSINT.

ARGUMENTUM.

Serpentes & alia venenata ſunt noxia, attamen humana induſtria cum ex illis theriacam confecerit, efficiet ut proſint venenata aliàs nocitura. Quadrat Deiparæ, mala enim precibus ſuis in bona vertit efficitque ut non ſolùm non noceant verùm etiam ſint proficua.

DIS-

DISCVRSVS.

MAla innumera conſpirant ad hominem diſperdendum. Mala iſta ſunt occaſiones peccandi, morbi, ærumnæ, paſsiones, & alia his ſimilia, ſed noli metuere ô homo invoca Virginem Deiparam ipſa veniens mala in bonum tuum traſmutabit. Oſtendo.

Legimus Apoc. 4. de Throno fulgura & tonitrua proceſsiſſe, & non legimus aliquod nocumentum intuliſſe, imò poſt fulgura & tonitura animalia Deo dant gloriam, ſi fulgura & tonitrua ſunt nociva, quare inibi non ſubſequitur illa aliquod nocumentum? Erat ibi mare vitreum quod Virginem Deiparam deſignat. Nam mare erat, ſic appellat illam S. Bonav. in Spec. B. V. vitreum erat mare, nam tota pura & pellucida fuit. Non igitur admiremur fulgura & tonitrua nocumentum non intuliſſe, ſed potiùs laudem Deo animalia deferre. Nam mutat mala in bona Virgo Deipara. *Apocal.4.* S.Bonav.

Poſtquam filium Sephora circumcidit illum ſponſum ſanguinum appellavit, Quomodo tam ſubitò puer ille fit ſponſus, & ſanguinum ſponſus, quem non ita pridem velut abominabilem interficere *Exod.4.*

ficere volebat omnipotens? Sed facilis reſolutio quæſtionis. Sephora per quam Deiparam poſſumus aſſerere adumbratam, nam filius quoque ejus ſponſus ſanguinum appellatur, Sephora, inquam, in manus eum aſſumpſerat. Non enim eſt poſsibile, ut malum in bonum non tranſeat ubi Sephora adfuerit Virgo Deipara.

Exod. 14. Dum inſequebatur Pharao Iſraelem jubet Deus virgam contra mare extendere. Quare virgam jubet extendere? Imminebat Iſraëlitis grande malum, nempe mare tranſitum præpediens, & ideo jubet adhibere virgam, quæ typus erat Deiparæ, ſecundum S. Ambroſ. ad Siric. Pap. ut malum illud in bonum convertatur. Et ſanè feliciter tranſmutavit: nam non præpedivit illos vaſtum mare ſed adjuvit, operuit enim illorum inimicos & ſubmerſit.

S. Ambroſ.

1. *Reg.* 4. Pergens Iſraël contra Philiſtæos accepit ſecum Arcam, Sed proh dolor, non ſolùm fugatur exercitus, verùm etiam & Arca captivatur. Vehementer obſtupeſco quare Dominus permittit capi Arcam illam, quam tantis honoribus præceperat cumulandam? Sed deſinamus admirari, myſterium videamus & fateamur, optimum hoc fuiſſe optimi Dei adinventum. Attendite: Magnum tunc in Iſraëlitas malum irruerat

ruerat, dum non ſolùm militem amiſerunt, verùm etiam grandem ignominiam reportarunt, & ideo ut grandia illa mala in bonum commutentur, vadit Arca ad Philiſtæos, capi ſe permittit, ut & plagam illatam recompenſet,& ignominiam convertat in gloriam. Et profectò illatam cladem egregiè compenſavit, nam inflixit plagas multas Philiſtæis, vertit & ignominiam in gloriam, nam quanta gloria in Iſraelitas redundavit dum illorum Arca Dagon Deum Philiſtæorum deſtruxit, dum muneribus & honore captam vel inviti reſtituunt. Sed, obſecro, quare per Arcam omnipotenti allubuit mala illa in bonum tranſmutare: Arca Deiparam deſignat, ſic S. Bonav. in Spec. B. V. S.Bonav.
Bene ergo, bene arca ad mala in bonum tranſmutanda deſtinatur, ut videamus hoc eſſe officium Deiparæ.

Benadad Rex Syriæ irruens cum horribili exercitu ad obſidendam Samariam, caſtra poſuit in montibus. 3. Reg. 20. Quare Deus, ſine cujus nutu nihil geritur, ordinavit ut in montibus exercitus ille locaretur? Decreverat Dominus ut exercitus ille glorioſè ab Iſraelitis fugaretur; malum quod ſuperbus Benadad minabatur in bonum & gloriam tranſiret, & ideo collocandum ordinavit in montibus, ut oſtenderet montem vim habere ad mala

 in bona

in bona tranſmutanda. Quem montem? Mons
S. Gregor. Deiparam adumbrat juxta S.Greg. 1. Reg. 1. Huic monti ſanctiſsimo cùm contulit omnipotens mala in bonum convertendi. Hoc & ipſi adverſarii confeſsi ſunt dum dixerunt: Dii montium ſunt Dii eorum.

Pſal. 134. Adfero & illud Pſalmiſtæ Pſal. 134. Fulgura in pluviam fecit adfero, ſed inquiro, cur fulgura in pluviam fecit, & non in aliud? Fulgura rem terrificam ſignificant, pluvia ſalutiferam & terræ proficuam. Ecce commutati fulguris in pluviam myſterium. In nube iſta peraquatur; nubes autem
S. Ambroſ. imago eſt Deiparæ, juxta S. Ambroſ. 15. Inſtit. Virg. ubi autem adſtiterit nubes hæc benedicta, jam nociva, jam terrifica in ſalutaria tranſeant eſt neceſſe.

Oneſilli Regis Cypri caput, ſupra urbis portam ludibrii causâ Anathuſii ſuſpenderant. Sed veniens examen apum, in illud mella veluti in favum congeſsit. Hoc facto permoti incolæ, inſuper & moniti oraculo illud honorificæ mandarunt ſepulturæ, ac quotannis Oneſillo ut heroi ſacra decreverunt. Hoc teſtatur Pierius lib. 26. cap. 3. Malum illud ludibrii in honorem verterunt apiculæ. Sed & tu ô Cæleſtis apicula! ô ſuperbenedicta Virgo, quod aliud quoque facis? Conantur irruentia

DISCVRSVS.

REs terrenæ humanum alliciunt affectum & quidem adeo, ut veſanus homo præferat illas ipſi Deo, ſed adeſt remedium, invoca Virginem Deiparam, ipſa ubi curam tui ſuſceperit terrenorum ſubitò inducet faſtidium. Attendito.

Dum horrida illa ſigna antecedentia diem Iudicii graſſabuntur, mandat Chriſtus ſuos tunc electos capita elevare, dicens : Levate capita veſtra. Imò Domine demiſſis capitibus obambulent ruinam mundi tam pulchri deplorantes : ſed meritò terrenis rebus ruentibus capita IESVS mandat elevanda, nam ſi caput attollent cælum aſpectabunt, qui autem cælum (quod imago eſt Deiparæ, S. Germ. Conſt. in Pſal. 44. atteſtante) aſpectabit, non triſtabitur cernens terrena corruere, nam Cælum iſtud benedictum inducet in animũ ejus faſtidium terrenorum, quod illa tempeſtate erit neceſſarium ſummopere. *Luca* 21. S.Germ. Conſt.

David 2. Reg. 7. coram Nathan Propheta conqueritur, dolens ſe in domo cedrinâ habitare. Quare conqueritur, imò tripudiet cernens Regiam ita magnificam? An ideo Regiam illam pulchram aſpernatur, res quæpiam in ipſa depoſita *2.Reg.7.*

 faſtidium

faſtidium ejus gignit in animo? Conceperat fateor pulchræ domus faſtidium, ſed unde? Subintulit ſacer textus, vidéſne quòd ego habitem in domo cedrina & Arca Dei poſita ſit in medio pelliũ. Iſtud, iſtud faſtidium inſtillat cordi ejus magnificentiæ temporalis, Arcæ nimirum memoria. Nam Arca adumbrat Deiparam juxta S. Bonav. in Spec. B. V. non autem eſt poſsibile ut in animum veniente Deipara terrenorum quoque non veniat faſtidium. Non, inquam, eſt poſsibile, nam qui recordatus fuerit in quanta paupertate vixit Arca iſta benedicta, ut ſubito ad aſpernanda cuncta mundi bona non exardeſcat.

S.Bonav.

Idem David cur deducens Arcam ſaltat, nam eſt contra Regiam majeſtatem? Arca, typus Deiparæ, fecit illum faſtidire regalem dignitatem & præferre illi exhibitum Arcæ obſequium.

2. Reg. 6.

Stella Magos ad Chriſtum ducens duxit ad ſtabulum. Quomodo ad ſtabulum. Ergóne in ſtabulo chlamyde pulchrâ conſpicui procumbent adoraturi puerulum? Stella illa Deiparæ typus fuit, ut aſſerit Seraphicus Bonav. in Spec. B. V. ad ſtabulum deducit Reges Stella iſta, ut ipſis Chriſti Regis Regum paupertate exhibitâ ingerat faſtidium terrenorum. Et profectò ingeſsit fælicitur, nam obliti & ſapientiæ & regiæ dignitatis, procedentes

Matth. 2.

S.Bonav.

procidentes adorant degentem in ſtabulo vili puerulum. O vim inæſtimabilem Deiparæ.

Videmus aves non libenter in terra demorari, ſed in aëre in arboribus, terram verò attingunt cibum neceſſarium accepturæ. Obſecro, quare aves terram adeo aſpernãtur? Ex Geneſi didicimus volatilia ex aquis proceſsiſſe. Aqua autem imago eſt Deiparæ, ſic Richard. l. 9. Hoc habito jam patet cur terrena faſtidiant. Aqua hoc impreſsit illis faſtidium, cujuſcunque enim aqua hæc benedicta Virgo Deipara, Mater extiterit, jam terrena aſpernetur eſt neceſſe. *Gen. 1.* Richard.

Cùm appropinquaverat finis vitæ David non legimus ipſum à Domino vitæ prolongationem petiiſſe. Sed tantùm præſcribit Salomoni aliqua in gubernando exequenda. Quare non ſupplicat ut aliquod tempuſculum curriculo vitæ ſuæ adiiciatur cùm homini ſit naturale id expetere. Imò hoc magis expendendum, neque contriſtatum ſacer textus commemorat. Duxerat David Abiſag Sunamitidem per quam figurabatur Virgo Deipara, ſecundum Richard. de S. Laur. lib. 5. & ideo non debet vitæ ſuæ adveniſſe periodum, ubi enim vel umbra aſtiterit Virginis Deiparæ, jam neceſſe eſt omnium rerum temporalium inibi faſtidium conſurgere. Tam valida eſt vis Deiparæ. Richard.


Apud

Apud Indos tractus eſt Phalacra ſive calvus appellatus, ex illo ſi aliquod animal herbam deguſtarit & pilos & cornua amittit, teſte Æliano lib. 8. cap. 15. de Animal. Talis ager tu ô Virgo ſuperbenedicta, ubi enim tu paſtum homini porrexeris animali, ſtatim ejus pili, affectus nimirum terreni, depereunt, ſuperinducis etenim ſubitò in animum ejus ſanctum vanitatum terrenarum faſtidium. Obſecro & ego & ſupplico humilimè, paſce & me animalem paſtu tuo, ut etiam in me pili pravorum ad terrena affectuum ope ejus evaneſcant.

Si iterum hoſtis conetur impugnare hominem terrena faſtidientem aliquo ipſorum deſiderio inſufflato, ad debellandum hoſtem præbet arma Deipara, ſit ergo Stella XXXIX. Nomen ejus ſit Armamentarium.

ARMAMENTARIVM.

MARIA ARMA MINISTRANS.



TV TAMEN TOLLE.

ARGVMENTVM.

In armamentario arma plurima ſunt & varia, arma ad aggrediendum hoſtem, ad tutandas Civitates, & ideo Reges ad bellum non exeunt niſi ex armamentario arma varia acceperint. Quadrat Deiparæ, nam in ipſa mille Clypei pendent & omnis armatura fortium tam ad aggrediendum quàm ad retundendum hoſtem proficua.

DISCVRSVS.

BEllum eſt vita præſens, & bellum cum hoſte armis terribilibus obarmato, quibus reſiſtere quàm ſit difficile multorum interitus & vulnera atteſtantur, ſed jam non metuimus arma tua, ô hoſtis improbe! apparuit armamentarium ſingulare. Quod? Virgo Deipara, ipſa arma valida ſubminiſtrabit ad improba arma tua deſtruenda. Et videto.

4. Reg. 6. Videns puer Eliſei exercitum circumdediſſe civitatē extimuit. Volens autē Eliſeus illū à timore liberare, ſupplicavit ut Dominus oculos pueri aperiret. Annuit, qui juſtorum debitè fuſas preces non renuit, & conſpicit puer montē plenū equorum & curruum igneorum, ſciſcitari fert animus, cur in monte apparent arma illa cæleſtia? Mons S. Gregor. Virginem Deiparam deſignat, ſic D. Greg. 1. Reg. 1. Ideo ergo mons miniſtrat arma illa ad defenſionem Prophetæ præparata, ut cognoſcamus Virginem Deiparam, armamentarium eſſe arma ſubminiſtrans, quibus ſervi ſui & protegantur & vincant inimicos.

Ioſuæ 10. Inſequebatur Ioſue quinque Reges fugitantes, & ſubditur, quòd Dominus miſerit ſuper eos lapides

pides magnos de Cælo. Quòd miſerit lapides, non admiror, nam Dominus pugnat pro famulis, ſed expendo, cur additum de Cælo? Cælum repræſentat Deiparam, aſſerente S. Germ. Conſt. in Pſal. 44. Ergo bene ſub illatum de Cælo arma illa, quibus hoſtes compreſſi ſunt fugitantes, defluxiſſe: nam Deipara Virgo benedictum hoc Cælum velut armamentarium pleniſsimum, arma hominibus ſubminiſtrat, quibus hoſtes validiſsimos concutiant. S.Germ. Conſt.

David Philiſtæum gigantem aggreſſurus, accepit quinque limpidiſsimos lapides de torrente. Quare non ex alio loco, ſed ex torrente? Torrens Deiparam deſignare poteſt, ſic Richard. l. 9. Et meritò, nam ſicut torrens coaleſcit ſolùm ex aquarum defluxu cæleſtium, nivalium nempe vel pluvialium, ſic in Deipara, non aliud inveniſſes niſi aquas cæleſtium gratiarum. Ecce ergo myſterium, ut ſuperet parvus David grandem illam turrim carneam, recurrit ad torrentem, ad umbram Deiparæ, ipſa namque inſuperabilia arma ſuis ſubminiſtrat. 1. Reg. 17. Richard.

Idem David 1. Reg. 21. fugiens à facie Saul venit ad Achimelech & accepit gladium ab illo è tabernaculo. Quomodo præſumit juſtus gladium è tabernaculo accipere? Tabernaculum Deiparæ 1. Reg. 21.

 umbra

Richard. umbra eſt teſte Rich. lib. 10. Laudo ergo Davidem quòd in tabernaculo iſto arma poſcit, nam ad hoc eſt conſtitutum ut ſit armamentariū, dans arma ad vitam propugnandam fortiſſima, unde & intulit David de gladio illo : Non eſt huic alter ſimilis.

Curioſiùs propono quare de montibus metalla eruantur? Mons Deiparæ typus eſt, ſic D. Greg.
S. Gregor. 1. Reg. 1. metalla autem ſunt materia ad arma fabricanda deſerviens. Dum igitur mons metalla ſubminiſtrat, inſtrueris Deiparam ſuppeditare armaturam, quâ ſuperes hoſtem & conatus ejus concidas peſtiferos.

Cùm Kemetus Rex Scotorum Fenellæ filium è vita ſuſtuliſſet referente Cardano de rerum variet. l. 12. c. 56. ſtatuam arte mira fabricari Tenella juſſit, in cujus manu pomum aureum gemmiſque refertum depoſuit, quod quicunque tetigiſſet ſtatim multis jaculis foderetur, hocque aſtu invitatum Kemetum, nilque mali ſuſpicantem interfecit. Providit & te nobis ô Virgo Devs Omnipotens, ut arma inviſibilia contineas, quibus hoſtem noſtrum adductum ad te perimamus, ô quàm feliciter his armis ſuperamus, quàm ſine labore & ſudore celebrem de illo reportamus victoriam, volo igitur & ego hoſtes meos ad te, ô Domina

mina! adducere, tu arma inviſibilis adjutorii ſubminiſtra, quibus hoſtes mei cadant interempti.

Poſt hoſtem ſuperatum armis miniſtratis ad magna promovere illum incipit utpote victorem Deipara: ſit ergo Stella 40. Nomen ejus ſit Cornu olei. Quare autem, ex tertio conceptu hujus Symboli deprehendes.

CORNV OLEI.

MARIA AD MAGNA PROMOVENS.



FERET IPSA SVRSVM.

ARGVMENTVM.

Beneficio Scalæ admotæ in altum excurrit homo. Quadrat Deiparæ, nam viles evehit ad ſublimia.

DIS-

DISCVRSVS.

ALta homo deſiderat, ſed obtutu ſunt difficilia, nam pluribus præpedita, verùm unicum invenio, quo adhibito, magna aſſequeris. Quod? Cornu Olei, Deparam. Hoc ſi te perunxerit ad ſumma promovebit. Rem oſtendo.

Lectitans obſtupui Mardochæum derepente ad tantam evectum dignitatem, ut ſublimis princeps Aman equum ejus tenens per plateam circumducat, ſed deſino admirari. Ad januam enim Regis tum temporis morabatur. Et quid inde? Sanè multum, Ianua palatii deſignare poteſt Virginem Deiparam, juxta illud Eccleſiæ: Tu Regis alti janua. Meritò ergo ſublimatio ſubſequitur manentem ad januam. Nam qui coluerit hanc januam, benedictam Deiparam; ad ſumma, promovente prece ejus, evehetur. Eſther 2. *Eccleſia.*

Dum tribubus Iſraël terra ſorte dividitur ſorte primam lego Beniamin aſcendiſſe. Beniamin poſtrema tribus erat, quomodo ergo ſortem primam obtinuit, & utique illo diſponente, in cujus manu ſortes noſtræ. Suppono tribus Beniamin Matrem fuiſſe Rachel, illam Rachel, quæ juxta Rich. l. 4. adumbrat Deiparam. Ex hoc intelligentiam Ioſuæ 18. Richard.

gentiam tenêmus myſterii. Poſtrema tribus ad primatũ ſortis evehitur, nam Deipara annititur ad magna ſuos filios promovere etiamſi mundo deſpecti & poſtremi appareant.

Ad Regiam dignitatem ut quiſpiam evehatur oleo inungatur eſt neceſſe. Quare Omnipotenti non aliud medium aſſumpſiſſe ad conſtituendos Reges allubuit, ſed oleum? Oleum ſecundum

S. Ambroſ. Ambroſ. c.13. Inſtit. Virg. Virginem Deiparam adumbrat. Quicunque igitur ad Regiã dignitatem eſt evehendus, oleum evehet illum, nimirum Virgo ſuperbenedicta.

Poſt obitum Moyſis in locum ejus Ioſue ſubrogatur. Res admiratione digniſſima, famulum in Domini ſuccedere dignitatẽ: Nam populus quanti hunc Principẽ reputabit quem principis famulum nuper agnoſcebat, & præcipuè eum tot principes egregios in Iſraël & dignos imperio conſpiciat? De Ioſue hæc narrat ſacer textus Exod. 33.

Exod. 33. Miniſter ejus Ioſue filius Nun puer non recedebat de Tabernaculo. Non igitur admiremur cultorem Tabernaculi ſingularem ad ſummã dignitatem aſſumptum; Tabernaculum enim typus eſt

Richard. Deiparæ, ut aſſerit Rich. l. 10. Qui autem ſpecialiùs colit Deiparam ſumma obtineat eſt neceſſe, nam cultores ſuos ad magna promovet magna Deipara.

Aquila

Aquila rex omnium avium nuncupatur. Quare non alia avis vel vaſtior vel pulchrior hunc obtinuit principatum? Aquila habet quandam cum ſole ſympathiam, hinc & pullos ad ſolem adigit contuendum, & ſi quempiam oculos ab obtutu ſolis conſpexerit avertentem tanquam adulterinum averſatur. Hinc propoſitæ patet reſolutio quæſtionis. Sol Deiparæ imago eſt, S. Bonav. in Spec. B. V. atteſtante. Iure merito ergo aquilæ defertur avium principatus, ſolem impenſiùs diligenti. Nam Deiparam diligentes, ſummæ obtinebunt dignitatis faſtigium.

Omitto quòd Moyſes dum eſt in deſerto promoveatur ad principatum populi educendi ex Ægypto. *Exod. 3.* Quòd Eliſeus ad Iordanem ad Propheticam dignitatem ſuſtollitur. *4. Reg. 2.* Quòd Salomoni Regnum à Davide ad inſtantiã Bethſabeæ collatum ſit. *3. Reg. 1.* Quòd Ioſeph fiat Ægypti præpoſitus, eò quòd Solem Lunamque conſpexerit. *Geneſ. 37.* Quòd Iacob apparente aurora ad ſublime nomen Iſraelis, id eſt, videntis Deum, evehatur, qua dignitate quid ſublimius? *Geneſ. 32.* Nam & deſertum & Iordanis & Bethſabee & Sol cum Luna, & aurora Deiparam deſignant, cùm ipſius ſint tituli.

Vrbs Oſacci in Orbe novo, teſte Ferdinando Mendez & Majolo Colloq. 23. eſt ideò opulenta,

 ut in

ut in ipſa cives Reges, fæminæ Reginæ, filii ipſorum Principes nuncupentur: magnæ profectò dignitatis hi tituli. Sed multò ampliores cõſequuntur per ſe ſervi tui ô Maria! Omnis enim cultor tuus, ô urbs beatiſsima Hieruſalem, Virgo Deipara, Princeps eſt. Rex eſt, Imperator eſt, tu enim ô Virgo, dum diſcolas ipſi ſubdis paſsiones, an non ad Regiam ipſum promoves dignitatem, an, non dum impetras illi gratiam ſanctificantem, an, inquam, non evehis ipſum ad Imperatoriam majeſtatem, ut nimirum verus ſit Cæli terræque Imperator, utpote qui filius Dei adoptivus efficitur? Deſidero & ego honores, ſed æternos non caducos: illos, inquam, honores, pro quibus gratiarum laudes illi ingeminant qui dicunt, & feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes: Ad honores iſtos promove & me, ô Domina mea dulciſsima, nam & ego tuus cultor impenſus eſſe deſidero.


Apocal. 5.

Qui ad magna à Deipara promoti ſunt, non conſueverunt filiis divitias temporales congregare, unde hæreditatis loco aliquando illis relinquunt egeſtatem, ſed non deſerit illorum pupillos Deipara, accipit ipſos & benignè complectitur: ſit ergo Stella XLI. Nomen ejus ſit Fiſcella. Quare autem? ex tertio conceptu hujus Symboli intelliges.

FISCEL-

FISCELLA.

MARIA PVPILLORVM CVRAM GERENS.



SIT TIBI CVRA MEI.

ARGVMENTVM.

Non poteſt meliùs adumbrare pupillum quàm avicula incluſa in cavea, nam & progenitoribus manet elongata, & ſui non habet poteſtatem, & quocunque indigeat, totum illud de manu reſpicit curatoris. Et ideo ſi rationis compos eſſet, compellaret his verbulis curatorem, ſit tibi cura mei. Quadrat Deiparæ Symbolum, nam ad ipſam pupillus vocem ſtudeat ſuſtollere, obſervando ſit tibi cura mei. Eſt enim univerſalis ſed provida tutrix pupillorum.

DISCVRSVS.

OMnes ſumus pupilli tam ſenes quàm juvenes: Pater enim noſter in cælis, Mater terra quidem in proſpectu, ſed poſt ſcelus in paradiſo perpetratum, ex Matre verſa eſt in novercam, ſpinas enim & tribulos progerminat: Imò & illa Hieruſalem altera & melior Mater noſtra ſurſum eſt. Sed providit Altiſsimus pupillis patronam ſummè bonam. Quam? Virginem Deiparam. Et videte quam ſedulam pupillorum curam gerat, hæc patrona.

Corvus nequiſsimus deſerit pullos ſuos. Quid Dominus? Præbet eſcam derelictis, non admiror, nam ille eſt qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, ſed quòd rorem præbeat loco edulii, hoc examino, nam latitans in hoc cerno myſterium. Cur igitur rore paſcit? Ros Deiparam adumbrat, ſic aſſerit S. Germ. Conſt. in Encom. Deip. Iam in promptu ratio, cur porrigat pullis derelictis tale edulium, vult enim oſtendere Virginem Deiparam gerere curã ſedulam pupillorum. Et ideo ſimulac conſpexerit aliquem orbatum parentibus, accurrit Ros iſte benedictus, fovet, nutrit, ſuſtentat & cunctis ſatagit neceſſariis cumulare. Sequens

S.Germ. Conſt.

Sequens meſſorum veſtigia Ruth Moabitis ſpicas colligebat derelictas: Obſecro, quare Ruth ad alium laborem ſe non contulerit, quo victum uberiorem acquireret? Nunquid enim ſpicis derelictis Ruth poterit ſuſtentari? Ruth figura erat Virginis Deiparæ ſecundum Bonav. in Spec. B. V. per ſpicas autem derelictas poſſumus pupillos interpretari, nam improba falx mortis abripit ab eis fratres, conſanguineos, velut ex eodem grano vel radice comprodeuntes ſpicas. Hoc viſo cernimus & rationem myſterii, quare Ruth contulerit ſeſe ad ſpicas derelictas. Iam enim tunc à longè affectus Deiparæ erga derelictos ſignabatur, quomodo nimirum foret egreſſura, ut pupillos benignè colligat derelictos, & conculcari non ſinat, quos humana inhumanitas velut abjectos & ſpretos derelinquit. O ſummam Deiparæ pietatem! Ruth 2. S. Bonav.

Compulſa mœſta Mater Moyſen infantulum ſuum demittere in flumen, fiſcellæ incluſum ſcirpeæ poſuit in carecto. Quare in fiſcella ipſum depoſuit. Per fiſcellam poſſumus piè aſſerere Deiparam adumbrari, nam in ipſa repoſitus erat demiſſus in hujus mundi flumen CHRISTUS, qui per Moyſen juxta Greg. Nyſſen. de vita Moyſis figurabatur: Ergo advertite cur fiſcellæ pupillus Moyſes committatur, omnes enim pupilli Vir- Exod. 2. Gregor. Nyſſen.

gini Deiparæ ſunt committendi, nam ad ſuſpiciendos illos excubat continuò, ſed felix es ô pupille, ſi huic fiſcellæ committaris, nam non ſolùm curam tui ſuſcipiet, verùm etiam te in Regali fovebit palatio: Hoc enim in Moyſe cernis adumbratum.

Ruth 1. Orbata & marito & duobus filiis Noëmi cupiens redire in Bethleem duas nurus ſuas ad remanendum hortabatur, verùm ipſæ abnuunt, ipſamq́ue nituntur comitari. Quid faciunt, obſecro, hæ viduæ, itáne potiùs eligunt patriam relinquere chariſsimã, cognatos deſerere, in terram peregrinari alienam, quàm à Noëmi ſeparari? Noëmi S.Bonav. Deiparam Virginem adumbrat juxta S.Bonav. in ſpec. B. V. & meritò, nam verè fuit pulchra. Bene ergo viduæ illæ nolunt recedere à Noëmi; nam nequeunt orbati patronum invenire meliorem quàm omnium Matrem pupillorũ Virginem Deiparam. Et profectò non ſunt defraudatæ; nam poſtmodum Ruth Booz potenti magnarumq́ue opum matrimonio eſt copulata.

Numer. 11. Populo Iſrael moranti in deſerto manna demittitur, in deſerto cadit manna? Quare manna & non alius cibus datur ipſi? Manna Deiparę imago eſt ſecundũ S.Ambroſ. in Pſ. 21 populus autem S.Ambroſ. ille pupillos repræſentat, nam poſitus in deſerto,

nec

nec domũ, nec patriã adhuc poſsidebat deſtinatã. Quàm convenienter ergo illi manna demittitur. Nam Virgo Deipara, ſimulatque aliquem pupillũ conſpexerit ſubitò ad nutriendum illum delabitur. Sed expendite quàm pupilli illi fortunati, quamdiu manna illos nutriebat, ſimulatque autẽ illam ſunt aſpernati, erumpens ira Dei durè illos devaſtavit: Ergo ô pupille hanc nutricem, tutricemque ſimul piiſsimam non floccipendas, nam omne malum deſertores ejus apprehendit.

Nec illud abſque myſterio, quòd Noemi ducat ad Bethleem nurus ſuas, nẽpe ad domũ panis, pupillos enim Virgo Deipara non ſolùm aufert ſecum, verùm etiam nutrit pane abundanti. Nec & illud, tunc Rebeccã ad Iſaac appuliſſe, cùm mors genitrice illum orbaverat, ad Orbatos enim accurrit ſtatim Deipara, cujus typus Rebecca erat, S. Bernard. Sermon. de B.V. atteſtante. S.Bernard.

In inſula Ombrio, quam noſtri Ferream appellarunt, teſte Ovet. Hiſt. l. 2. cap. 9. nec pluvia, nec flumina, nec aliquod aquarum genus invenitur; attamen mira & benigna providentia Dei, quondam ibi arborem eſt elargita, quæ ante ſolis ortum quotidie tum à ſtipite, tum à ramis velut fontes quoſdam aquam emittit ita copioſam, ut & hominibus & jumentis abundè ſufficiat. Typus tui ô Virgo ſuperbenedicta eſt arbor iſta: Perſæpe contin-

contingit ut pupilli nec pluviam favoris nec alia ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria queant invenire, velutque ferream & implacabilem fortunam experiantur. Sed tu ô Arbor pulcherrima, arbor quæ fructum benedictum genuiſti ades ſubitò & abundantiam rerum omnium illis provides, & non ſolùm opitulatur illorum indigentiæ mira pietas tua ſemel ac iterum, ſed ſimulatque aliquem ex illis ſub tuam aſſumpſeris curam, nunquam ceſſas omnem abundantiam illi providere. Suſcipe & me, ô provida patrona, nam & ego pupillus ſum, exulo namque à Patre meo, qui in cælis eſt, tu ergo mihi ſis Mater, ſis patrona, ſis in omnibus curam mei ſuſcipiens.

Illi, quos ad magna promovit, quia non ſunt adhuc extra periculum, ſummos enim feriunt fulmina, procurat Deipara ut ſecuri perſiſtant in culmine: ſit ergo Stella XLII. Nomen ejus ſit Nidus Alcyonis. Rationem vide in Symbolo.

NIDVS

NIDVS ALCYONIS.

MARIA SECVRITATEM GIGNENS.



SILEAT NVNC TVRBIDVM.

ARGVMENTVM.

Quando Alcyon in mari nidificat tunc magna eſt in mari ſecuritas, eſt enim quietiſsimum toto tempore quo Alcyon pullos fovet. Quadrat Deiparæ, illâ enim adſtante adeſt & ſumma ſerenitas.

DISCVRSVS.

NVllibi invenio ſecuritatem veram, nam & amici plurimis necem intulerunt, & parentes multi ſuos filios occiderunt,& præcipuè confirmat illud Apoſtoli 1. Theſſal. 5. cùm dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. Sed macte animo, aderit vera ſecuritas, tantùm adſit Virgo Deipara, ipſa namque imperturbabilem ſecuritatem progignit. Oſtendamus.

Gen.27. Cupiens pia Mater Rebecca filiũ ſuum Iacob ab ira in dignantis Eſau reddere ſecurũ mittit illũ in Meſopotamiam. Quare non ad alium locum? vel Meſopotamia non eſt locus ſecurior? Ita profectò, nam in Meſopotamia erat Rachel adumbrans Deiparam ſecundum Richard. l. 4. ubi autem adſtiterit vel umbra Deiparæ, jam omnis inibi vigebit ſecuritas.

1.Reg.24. David perſequentis declinans furorem Saulis fugit in Engaddi, ſi metuit quare non præoccupat aliquod fortalitium benè prçmunitum, intra quod ſeſe recipiens, hoſtem eludat vitæ ſuæ inhiantẽ? Engaddi loca ſecuriora erant quolibet fortalitio inacceſsibili; nam in ipſis vineæ erant Deiparam adumbrantes (ô verè adumbrantes, nam ex ipſa

proceſsit botrus Cypri dilectus noſter Chriſtus IESVS) laudo igitur & applaudo illuc Davidem ſeſe recepiſſe fugitantem, nam ſub umbra Deiparæ imperturbabilis gignitur ſecuritas.

Vt aromatibus ungant ſepultum Salvatorem egrediuntur ad monumentum valdè mane tres Mariæ. Si aliquid ſtuporem exigit, certè hic auſus Mariarum. Nam quomodo meticuloſæ naturaliter mulierculæ præſumunt tendere ad Sepulchrũ, cùm & militem ſciant excubantem, & implacabile odium Iudæorum contra Chriſtum durans adhuc? Quid ſi ſpoliabuntur veſtimentis à milite, quid ſi à rabie Iudaica in carcerem detrudentur? Grandis certè auſus, grandis fiducia, grandis in aggrediendis tot impendentibus periculis ſecuritas. Quid igitur illas tam ſecuras reddiderat? Sed facilè cauſam ſecuritatis coniicio; Cognatæ erant Deiparæ, igitur ſecuritas illos comitatur, nam cognatos ſuos Deipara cumulat ſecuritate ſingulari. Coniicio autem ex nomine, nam vel nomen Mariæ ſecuritatem progignit. Marci 16.

Demittendus Daniel in lacum Leonum non lego quòd aliàs amiciſsimo ſibi Regi ſupplicaverit, ut decretum illud moderari dignaretur. Vnde, obſecro, tanta illi ſecuritas, ut ſibi non timeat à rabidis leonibus & adhuc famelicis. Præmiſerat Daniel. 6.

ſacer textus Danielem feneſtris apertis orationẽ coram Deo effudiſſe: Ecce ſecuritatis ejus rationem. Feneſtram Deiparæ typum eſſe piè poſſumus aſſerere. Sic appellat illam S. Auguſt. 15. de Temp. Feneſtra ergo adaperta ſecurum Danielem reddiderat, & ideo feros Leones non metuit, nam cùm aperuerit vim ſuam feneſtra, benedicta Virgo Deipara, ſecuritatem magnam confert ſuis cultoribus.

S. Auguſt.

Moyſes tot plagis duriſsimis Ægyptum affligebat, & tamen non metuit. Imò quomodo non conſurgunt Ægyptii vel Rex ipſe ut ipſum exquiſitis torqueant ſuppliciis, cùm videant ipſum tot patriæ ſuæ damna inferentem? Habebat in manu Virgam Moyſes, quæ ſecundum S. Ambroſium ad Siricium Papam Deiparam adumbrabat, & ideo cor ejus eſt ſecurum, immuneque ab omnibus periculis. Nam cui adſtat Virgo Deipara Virgo debellans Ægyptum infernalem, ſummâ talis ſecuritate vallabitur.

S. Ambroſ.

In Auſtrali Momonia referente Euſebio Nierembergio l. 2. cap. 12. de miraculoſis naturis in Europa, locus quidam eſt, ad quem conſueverunt feræ confugere, dum à canibus venaticis infeſtantur. Res miranda ſimulatque feræ intra locum illum ſeſe receperint ilico canes curſum ſiſtunt, nec

feras

feras inſequuntur. Longè adhuc ſecurius aſylum tu es ô Virgo Deipara; auſim enim dicere, ſimulatque quiſpiam ad te confugerit, jam venatici canes infernales attingere ipſum non præſumunt, ſed curſum ſuum ſiſtunt mirabundi, cernentes tam immenſam protectionis tuæ virtutem, ô Virgo & ego ſub, umbram alarum tuarum ex toto corde confugio. Suſcipe me ô ſuperbenedicta & ſuſcipe donec tota canum quæ me inſequitur tranſeat iniquitas.

Non ſolùm ſecuritatem illis procurat Virgo ſuperbenedicta, verumetiam & debita illorum tam antiqua quàm nova, ſi quę fortè ſuperfuerint, ſtudet abolere; ſit ergo Stella XLIII. Nomen ejus quare Spongia ſit loquitur Symbolum.

SPONGIA.

MARIA DEBITA ABOLENS.



PRÆSTOLOR VT DELEAM.

ARGVMENTVM.

Conſueverunt homines tabulam in cubiculo appendere, in qua inter alia & debita annotantur. Huic appendunt & ſpongiam, ut abſtergat ſcripturam, & ideo ſpongia, cùm ad abolendum ſit inſtituta, ſemper deſiderat abolere. Quadrat Deiparæ, nam continuò invigilat, ut debita noſtra aboleat, remiſſionem impetrando.

DIS-

DISCVRSVS.

MVlta homo contrahit debita quotidie quæ Dominus annotat diligenter. Hinc B. Iob ſcribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Vis ô homo quantocyus aboleri, ut debita tua aboleat bonus ſed & juſtus Dominus? Ad ſpongiam recurre ad Virginem Deiparam, ſic enim nuncupatur à Rich. de S. Lau. l. 12. Hæc ſpongia benedicta tua debita velociter abolebit. Rem comprobo.

Quando increverat malitia hominum ſuper terram venit aqua diluvii. Quare non alio modo mundum caſtigare voluit omnipotens, ſed per aquam? contraxerat multa debita tunc orbis propter malitiam inhabitantium in eo, & ideo ad debita illa abolenda aqua adducitur. Aqua enim Deiparam adumbrat juxta Rich. l. 9. & ideo ſi debita ſentis te contraxiſſe, aquæ hujus illapſum implorato, nam illapſa cuncta etiam graviſsima debita abolebit. Geneſ. 7. Richard.

Exercebant negotiationem in templo Hieroſolymitano ementes & vendentes, ſed adveniens Chriſtus, utroſque durè increpavit & ejecit. Quare, obſecro, negotiationem in templo non permiſit Matth. 21.

cùm

cùm ex ſe nón ſit mala. Vbi negotiatio ibi & debita contrahuntur, in Templo autem nequeunt debita perdurare, nam Templum Deiparæ typus
S.Bonav. fuit, ut aſſerit S. Bonav. in Laud. B. V. Deipara autem non patitur debita in ſua præſentia perdurare, ſed precibus delere illa allaborat. Ob eandem rationem nec judicia licet actus ſint juſtitiæ exercentur in Templo, nam & in judiciis aliqui ſe obligant.

Commune iſtud fuit ut pœnitentes Dominum pro peccatis deprecantes in terra ſe proſternant. Quare? Terra Virginem Deiparam adum-
Beda. brat teſte Beda in 2. Geneſ. Bene ergo, bene remiſsionem peccati expoſcentes ad terram ruunt, ubi enim aderit Virgo benedicta, jam durare debita non poterunt, procurabit namque terra iſta ſanctiſsima illa abolere.

Ioſue 7. Fugatis tribus millibus pugnatorum à viris urbis Hai, Ioſue pronus cecidit coram arca Domini. Quare coram arca ſe proſternens Dominum deprecatur, vel ubique non eſt Omnipotens? Arca
S.Bernard. Deiparæ typus eſt. Sic S. Bernard. in Serm. B. M. Non igitur abſque myſterio coram Arca provolutus Ioſue deſcribitur, jam tunc edocere nos placuit Altiſsimo quomodo ad Deiparam ſit illi recurrendum, qui debitum aliquod petit condonari.

Contra-

Contraxerat enim debitum tunc populus propter Achan, qui aliqua de anathemate Hiericho abſtulerat.

Quando Chriſtus ſanitatem aliquibus conferebat tangebat illos manu. Quare manu, vel nequibat ſolo verbo ipſam impertiri? Suppono, perſæpe infirmitates & alia mala ex debito peccati contracti; provenire ſuppono inſuper manum Chriſti Deiparam deſignare, nam per illam porrigit nobis beneficia ſua, eſt enim mediatrix ad filium. Et inſuper, ſic appellat illam cultor ejus Bernard. de Buſto in ſuo Mariali. Hinc jam colligite, cur ſanandos manu contingat Salvator beneficus, ut nimirum abſterſis debitis infirmitas propter illa contracta abſtergatur: hoc enim eſt commiſſum Deiparæ, huic manui benedictæ, ut procuret contracta debita abſtergere. Bernard. de Buſto.


Molina Gallæciæ deſcriptor narrat in portu Mongiæ fluctum maris rupem dum percutit, cruces in ipſa & baliſtas perfectè efformare. Res mirabilior adhuc, venit poſtmodum alius fluctus & omnia illa delet. Hoc idem video in te, ô Virgo Deipara, fluctus concupiſcentiæ dum nos ad peccatum inducunt ſtatim efformant in nobis cruces & baliſtas, nam ſubitò juſto Dei judicio, cruces variarum pœnarum velut debitum contrahimus,

ſed felix ille, ô nimium felix debitor, ſi te habuerit propitiam, nam tu precibus tuis ſanctiſsimis, velut impetu grandis aquæ, delebis cruces illas, efficieſque ut debitum illarum miſero & infelici nuper ſed felici ob tuum patrocinium dimittatur. O Virgo & ego ſum miſer de numero illorum qui contrahunt debita hæc infelicia, ſed ſim, obſecro, ô ſuperbenedicta de numero illorum quibus per tuas preces debita condonantur.

Non ſolùm debita abolere procurat Deipara, verùmetiam & ſpiritualibus deliciis nititur paſcere illas impetrando. Sit ergo Stella 44. Nomen ejus ſit Alveare.

ALVEARE.

MARIA DELICIAS MINISTRANS.



SI VENIES INVENIES.

ARGVMENTVM.

Alueare miniſtrat hominibus mel cibum delicioſum. Quadrat Deiparæ, nam & ipſa procurat delicias ſanctas ſubminiſtrare ſervis ſuis.

DISCVRSVS.

AMarus valde mundus iſte eſt plenuſque colocynthidis, unde bene poſſumus dicere de his quæ miniſtrat nobis eduliis: Mors in olla. Sed macte animo: providit Dominus Virginem Deiparã mundo inſipido, ad illam confugiamus, ipſa veras delicias nobis miniſtrabit. Et videte.

Numer. 11. Manna ad Iſraelem delabente & ros ſimul delabitur. Quare abſque rore non decidit? Ros Deiparam adumbrat teſte S. Germ. Conſt. in Encom. Deipar. Manna autem delicioſiſsimus cibus fuit includens omnis ſaporis ſuavitatem. Quam convenienter ergo cum rore manna delabitur, nam ros benedictus, Virgo Deipara, apportat nobis cæleſtes delicias.

S. Germ. Conſt.

Cant. 8. Deſiderat ſponſa Cant. 8. ſponſum ducere in domum matris ſuæ, & promittit ſe inibi daturam vinum conditum. Quare in domo matris ſuæ vinum conditum pollicetur, vel alibi non eſt inveniri vinum delicatum niſi in domo matris ejus? Mater ſponſæ animæ electæ eſt Virgo Deipara, bene ergo in domo hujus matris vinum conditum pollicetur. Nam delicias quæ per vinum conditum deſignantur ſummopere procurat hæc Mater ſuis cultoribus miniſtrare. Co-

Columbæ quibus comparantur oculi ſponſi *Cant.5.*
Cant. 5. dicuntur lacte lotæ. Quare lacte lotæ? Columbæ illæ dicuntur ſuper rivulos aquarum demorari. Quandoquidem igitur ſuper rivulos aquarum demorãtur non mirum illas lacte lotas, idque abundantes deliciis (nam lac cùm ſit dulce delicias deſignat) rivuli enim aquarum Virgo Deipara. Verè enim rivulos aquarum ipſam poſſumus appellare, nam multis redundabat rivulis gratiarum: Virgo, inquam, Deipara abluit lacte illos, qui penes ipſam demorantur, nam his qui ſibi inſerviunt abundantes providet delicias.

Iudicum 14. Samſon in vineis oppidi mel in ore leonis occiſi invenerat. Quare, in vineis oppidi non autem in alio loco. Vinea Deiparæ imago eſt ut aſſerit S. Bernard. Serm. 3. in Salve Regina. Ecce mellis in vineis inventi rationem. Nunquam enim poteſt contingere ut vineam hanc benedictam inviſens delicias melle dulciores non invenias ab ipſa præparatas. Iudic.14. S.Bernard.

Veniens Regina Sabba ad Salomonem attulit plurima aromata. Quare attulit aromata, nam potiùs decet mercatores illa advehere non Reginam? Per Sabbam Reginam Virgo Deipara deſignatur ſecundum S. Bonav. in Spec. B. M. Per aromata autem delicias interpretari poterimus, nam dum 3.Reg.10. S.Bonav.

aromatibus cibi debitè condiuntur delicioſi apparebunt. Iam quilibet puto agnoſcit myſterium. Quotieſcunque ad te venerit inviſendum Deipara, vacua non veniet, portabit plurima aromata, cæleſtes nimirum delicias, quibus inſipida cuncta ſi condiverit, nectare & ſaccharo experieris dulciora.

Alaodinus referente Paulo Veneto lib. 1. cap. 28. Hiſt. Orient. ædificaverat in valle amœniſsima paradiſum omni deliciarum genere inſtructum, & arcem in aditu munitiſsimam extruxit, ne alicui illuc aditus niſi ſolis conſciis panderetur. Sparſerat deinde famam ſe à Mahumeto claves obtinuiſſe paradiſi, poſſeque illuc introducere illos qui ad omne imperium ſuum eſſent promptiſſimi, & ut magis confirmaret famam illam aliquos potione ſoporifera oblata illuc dormientes deferebat. Quibus expergefactis dabantur omnis generis deliciæ. Ac tandem potione iterum ſoporifera ſoporatos educi curabat dormientes. Quo facto ita ad omnia juſſa ſua promptiſsimos reddiderat Aſſaſinos ut multos illorum inſidiis Chriſtianorum principes oppreſſerit. Subminiſtrabat ſubdolus iſte delicias ſibi promptè obedientibus, ſed tempore breviſsimo. Sed tu ô Virgo ſuperbenedicta lõgè majores inſervientibus tibi miniſtras

delicias Neſcit mundus pretium illarum, neſcit ſuavitatem, neſcit quantum ſalubres ſint animabus, ſoli illi ſciunt qui deguſtant illas dante manu tua. Et quod amplius eſt, non brevi tempuſculo ſed frequenter & diutius illis perfruuntur. Benedicta ſis ô Virgo ſuperbenedicta, quia adeò tractans delicatè ſervos tuos.

Deliciæ ſpirituales quas Deipara precibus ſuis ſubminiſtrat ducunt ad Cælum, nam in ordine ad hoc conferuntur. Sed quia nititur in hac via hoſtis prępedientia ponere obſtacula, Deipara aufert illa, ſit ergo Stella XLV. Cui nomen via Regia. Quare? ex fine Symboli intelliges.

VIA REGIA.

MARIA AVFERENS OBSTACVLA.



VEL NVDO PERGE PEDE.

ARGVMENTVM.

Dolabrum aſſerem levigando omni aſperitate expoliat ac in eo efformat, gratam ac terſam planitiem. Hinc qui per aſſerem hujuſmodi vel nudo pede inceſſerit non experietur offendiculum. Quadrat Deiparæ, nam ad omne bonum levigat iter nobis cuncta auferens obſtacula.

DIS-

DISCVRSVS.

NEſcio ſi vel ad unicam virtutem via complanata queat inveniri. Hinc fit ut rarum invenias qui ad illum currens non offendat, ſaltem aliquam circumſtantiam ejus non ſervando, ſed, ô homo, potes dummodo velis curriculum hujus itineris ſine offendiculo decurrere. Quomodo? Recurre ad Virginem Deiparam, ipſa levigabit & complanabit iter tuum, obſtacula cuncta auferendo. Attendito.

Conqueruntur mulieres ad monumentum profectæ. Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Hæc dum meditantur: Reſpicientes lapidem revolutum inveniunt. Quare, obſecro, inveniunt lapidem revolutum, non autem in præſentia illarum revolvitur. Annotavi, has Marias ad monumentum perrexiſſe orto jam ſole. Non igitur eſt mirabile illas jam inveniſſe amotum lapidis obſtaculum. Nam ſol Deiparæ imago eſt, teſte S. Bonav. in Spec. B.V. cùm autem ſol ſplendidus iſte exoritur jam omnia ruunt obſtacula, nec famulos ejus ab incæpto præſumunt virtutis decurſu præpedire ne dicam demorari: Ergo & tu cùm aliquod obſtaculum iter tuum præpediens

Marci 16.

S.Bonav.

 conſpe-

conſpexeris, ad illud te decurrendum non conferas niſi orto ſole, niſi invocatâ Virgine ſuperbenedictâ. Poſſem & alteram dare rationem quare illæ mulieres expectatum non inveniunt obſtaculum, nam Mariæ nomen habuêre, obſtaculum autem vel audito ſolo nomine adventantis Mariæ ſtatim fugit, ſtatim collabitur.

Oleaſter. Ad Civitates Refugii via complanata erat teſte Oleaſtro. Quare ubi conſiſtit civitas Refugii, non inveniuntur obſtacula? Civitas Refugii Deiparæ typus eſt, ſecundum Richard. à S. Laur. l.2. Richard. Deipara autem non ſinit perdurare obſtacula, ſed ſubitò illa exterminat.

Exodi 14. Ibat populus Iſrael ad terram promiſſionis ex Ægypto, & ecce mare rubrum, quod obſiſtere videbatur dividitur & per ſiccum ſuum cunctum tranſmittit exercitum. Quare conſtituit omnipotens, ut aquæ ſecedentes fundũ ſuum ad tranſitum populi detegerent? quare non potiùs ordinavit, ut ſuper undas ejus gradientes ſicco pede abyſſum calcando pertranſirent, nam æquè hoc miraculum potuit exhiberi. Ibat tunc temporis Moyſes portans virgam illam, virgam quæ virginem adumbrat Deiparam, teſte S. Ambroſ. ad S.Ambroſ. Syricium Papam, & ideo potiùs mare cedit, ut videamus vim Deiparæ, quæ non ſolùm deducere

poteſt

poteſt ſubſternendo pedibus cuncta obſtacula, verumetiam efficit ut recedant penitus iter relinquendo expeditum.

Et illud quoque eſſe fateor mirabile cur permittat omnipotens tot populos Iſraeli ad terram promiſſionis juſſu ejus contendenti obſiſtere? an enim non poterat ille, in cujus manu cor hominis, efficere, ut ſponte colla ſubderent Iſraeli, ſicut & Gabaonitæ ſeſe ſubdiderunt? Sed expendite myſteriũ, Arca quæ imago Deiparæ eſt, aſſerente S. Bernar. in Serm. B. M. tunc populum ad capeſſendam promiſſionis terram deducebat, & ideò vi potiùs obſiſtentes hoſtes auferuntur, quàm cedãt ſpotaneè; ut videamus, quia quem deducit ad terram promiſsionis arca ſuperbenedicta Virgo Deipara, ita vim ſuæ exerit potentiæ ut cuncta ſubmoveat præpedientia obſtacula. Quàm igitur fortunatus quem deducit Deipara! S. Bernard.

Iudicum 12. Occupaverant Galaaditæ vada Iordanis & omnem non valentem exprimere Scibboleth, quod interpretatur ſpica, jugulabant. Quare non ſolùm inveniunt obſtaculum tranſeundi, nequeuntes ſpicam exprimere verum etiam occiduntur. Per ſpicam intelligere poſſumus Virginem Deiparam, nam ex illa proceſsit granum frumenti, quod in terram cadens pro noſtra Iudic. 12.

ſtra ſalute mortuum eſt, ſed cum fœnore mortuũ, Chriſtus nimirum Deus benedictus in ſecula. Væ igitur illi qui nequiverit nominare hanc ſpicam benedictam, profectò ſummopere illi metuendum, ne non ſolùm in tranſitu vitæ inveniat obſtacula, verumetiam & mortem omni morte duriorem. Ille autem qui ſciverit hanc ſpicam nominare, fortunatus; nam auferet cuncta felici trãſitui obſtantia. Igitur ô homo nunc aſſueſce hanc ſpicam frequentiùs corde, ore, & opere exprimere, ut in mortis vado paſſum liberum invenias.

Euſebius Nierembergius refert in Peruanorũ Regno duas vias Regias unam per planitiem, alteram per montana extitiſſe, manu factas, protenſas per quingentas Leucas, labore incredibili profundas valles complanante, rupesque editiſsimas adæquante. Hæc refert author prædictus l. 8. Hiſt. Natur. cap. 16. Sed iter quod tu continuò ſervis tuis, ô Virgo Deipara, accomodas longè delicioſius eſt, magiſque mirabile, complanas profectò illud cuncta præpedientia curſum, auferendo obſtacula, efficiſque ut vel nudo pede decurſum non offendat. Et quod cuncta exuperat, manu tua deducis illos, ita ut quilibet ex illis poſſet illud Pſalmi 72. decantare: Tenuiſti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxiſti me: & cum

gloria ſuſcepiſti me. Dignare ô Domina mea ſanctiſsima & miſerum iter meum complanare,ut, te deducente,non inveniam in illo præpedientia me ab ingreſſu felicis patriæ obſtacula.

Homo per opera bona ad Cælum contendens ſi quodpiam obſequium Deiparæ præſtiterit , ſubitò , ſubitò illa bene recompenſare illaborat etiamſi fortè fuerit minutulum. Sit ergo Stella XLVI. Nomen ejus quare ſit Hortus Balſameus, ex illo deprehendes quod in fine Symboli apponetur.

HORTVS BALSAMEVS.

MARIA REPENDENS BENE OBSEQVIA.



PRO PAVCIS PLVRIMA TOLLE.

ARGVMENTVM.

Pauca grana das terræ, ſed plurima colligis. Quadrat Virgini Deiparæ terræ, de qua veritas orta eſt, nam minima obſequia ſibi exhibita uberrimè recompenſat.

DIS-

DISCVRSVS.

PAupertatem averſantur homines ſummopere, cupiuntque diteſcere, ſed plerumque nequeunt, imò in pauperiem labuntur duriorem. Nam & ſolicitus mercator, totam ſæpius cum mercibus perdit ſubſtantiam; & laborioſi ſpem agricolæ, ignis,aqua,vel hoſtis redigunt in nihilum;ſed,ô homo,ſi deſideras diteſcere alium modum divitias conquirendi aſſumito.Quem ?præſta obſequium Deiparæ, & diteſces, nam minima obſequia remuneratur copioſè: Non te decipio. Auſculta.

Montem Oliveti illuminabat & ſol exoriens interdiu, & Templum Hieroſolymitanũ noctu, teſte Ioan. à S. Gem. in ſimilit. unde & mons trium luminum dicebatur. Tantiſper examino, cur mons ille tam à ſole quàm à Templo, & utique Domino ſic ordinante,lumen obtinebat.Miniſtrabat mons Oliveti pabulum pro lumine tẽpli deſerviens, erat enim feraciſsimus olivarum, quarum ſuccus lucernarum flammas nutriebat. Ecce reſolutionem quæſtionis. Templum cui obſequium mons ille exhibebat præfigurabat Deiparam. Sic S. Bonav. in Laud. B. V. Bene ergo Templum

Ioan. à. S.Gem.

S.Bonav.

Templum illuminat montem Oliveti obſequiū pabuli lucernis ſuis exhibiti compenſando. Nam Deipara Virgo ſingulariter ſtudet vel minimum obſequiolū ſibi vel ſuis impenſum compenſare: hæc eadem ratio cur ſol etiam montem illum lumine perfundebat. Nam & ſol imago eſt Deiparæ, juxta S. Bernard. Serm. 3. in Salve Regina, Deiparæ, inquam, cuncta obſequia ſubitò compenſantis. Nec illud vacuum videtur myſterio montem Oliveti & noctu & interdiu à Figuris Deiparæ ſole & Templo illuſtrari. Nam Deipara, & interdiu, dum proſpera ſunt omnia, & noctu, dum dura premit adverſitas, & interdiu dum lucet vitæ dies, & noctu dum horrida nox mortis irruit rependit obſequia ſibi exhibita, idque pro terreno oleo lumen cæleſte impendendo.

S.Bernard.

Caleb non ſolùm hæreditatem in terra promiſsionis obtinuit, verumetiam vegetiſsimus eſt, ſenex licet: ſic etenim ipſe de ſeipſo atteſtatur ibidem dicens: Hodie octoginta quinque annorū ſum, ſic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum miſſus ſum, illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum. Res iſta eſt mirabilis, tot Caleb ærumnas in itinere diurno in bellis, in aliis preſſuris occurrentibus exorbuit, & tamen

Ioſue 14.

men robur ejus non eſt imminutum, ſed in promptu reſolutio quæſtionis. Præſtiterat Caleb ſingulare terræ promiſsionis obſequium Numer. 13. dum populum exploratorum meticuloſa narratione perterritum animabat, ut ad capeſſendam tam uberem terram conſurgeret, licèt alii terrę illi deſiderabili detraherent. Terra enim promiſsionis imago eſt Deiparæ, ut aſſerit S. Auguſt. Serm. 100. de Temp. feliciſsimus autem ille exiſtat eſt neceſſe, qui animat ad labores ſubeundos pro incolatu in hac benedicta terra conſequendo. Non emarceſcet profectò robur ejus, vigorem ſuum retinebit, & inſuper hæreditatem benedictam conſequetur.

Numer. 13.

S. Auguſt.

Samuel miniſtrabat in Templo Domini, ſed poſtmodum ad ſummum ſacerdotium evehitur populique Iſraël judex deputatur. Quare DEVS omnipotens ita ordinavit, nam videtur contra decentiam, ut miniſter Templi ſummi ſacerdotis conſcendat locum, nam quomodo authoritatem apud Eccleſiaſticos obtinebit? Imò quia miniſtrabat Templo evehatur ad tantam dignitatem? ut quilibet intelligat Deiparam ſummè recompenſare miniſteria ſibi exhibita. Ipſa enim Templum illud præſignabat ſecundum S. Bonav. in Laud. B. V. ſententiam.

S. Bonav.

Inter alias Cæli qualitates & hanc invenio ut pro paucis plurima exhibeat. Aqua ut cæleſtis influentiæ mandato obſequatur vaporem cælo mittit, ſed cælum pro vapore pauco imbres demittit largiſsimos, qui & augeant aquam & faciant pro copia exundantem. Eodem modo & terræ pro paucula exhalatione, nivem, rorem, pluviam demittit copioſam, quæ omnia terram reddunt abundantem. Quare Cælo Devs hanc indidit qualitatem? Cælum Deiparæ typus eſt, S. Germ. Conſt. in Pſalm. 44. atteſtante. Ideo ergo Cælum pauca uberrimè compenſat obſequia, ut vel hinc agnoſcamus quàm ſit proficuum obſequiolum exhibere Deiparæ, nam profectò beneficiis rependet illud innumeris.

S. Germ. Conſt.

Marci 1.

In Iordane Chriſtus Baptiſma ſuſcipiens ſanctificavit aquas ejus. Quare in Iordane placuit Chriſto Baptizari & non alio in flumine? Iordanis exhibuerat obſequium Arcæ, quæ imago eſt Deiparæ, juxta S. Ildef. Ser. 1. de Aſſumption. retraxit enim aquas ſuas, ut per ſiccum Arca pertranſiret. Ergo nõ, alterius fluminis aquas Salvator ſanctificat, ſed illius quæ obſequium umbræ Matris ſuæ præſtiterãt, ut te ad præſtanda Deiparæ obſequia accẽdat, dum proponit tibi ob oculos collatam benedictionem illi, qui umbræ tantùm Deiparæ, exhibuerat obſequium.

Ildefonſ.

Bozius

Bozius in ſignis Eccleſiæ narrat fuiſſe in Ægypto hortum Balſamum proferentem, ſed reddere fructum negligebat niſi aquâ vicini fontis rigaretur in quo Deipara ſæpius Ieſum abluerat. Et ideo Saraceni aliunde aquam in illum fontem deduxerant, ut hauriens inde aquam irrigationi abundantiùs ſufficeret. Iámne cernis, ô homo, quàm impensè remuneretur Deipara viliora etiam obſequia. Toto ergo pectore annitere, ut quamplurima pro honore ejus efficias. Et cùm adverteris te aliquam occaſiunculam ſervitii ejus neglexiſſe, ſcias te gemmas lapideſque precioſos oblatos ultrò perdidiſſe.

Loquendo de beneficiis diſtinctiùs, quibus Deipara rependit obſequia ſibi exhibita, primum eſt, quia illa aufert quæ homini nocere conabātur. Sit ergo Stella 47. Nomen ejus Clava, nam nociva debellat velut clava Herculea.

C L A V A.

MARIA NOCIVA ENECANS.



IPSE PERIBIS.

ARGVMENTVM.

Baſilico homini occurrente evidens mortis occurrit periculum. Nam viſu ſolo enecat baſilicus, verùm homo ſi ſpeculum illi obiiciat ut dicitur vel clava ſpeculum, fugabit periculum nam in baſiliſcum mortem retorquebit. Quadrat Deiparæ, nam & ipſa eſt ſpeculum & ſpeculum ſine macula, hanc qui rebus nocivis objecerit, nociva concident, vel ſolo aſpectu ejus enecata.

DIS-

DISCVRSVS.

QVot creaturæ in mundo ſunt, tot nociva, nam aſpectu ſuo hominem ad deſiderium, dum impellunt illicitum, quaſi oculo venenoſo interimunt. Sed adeſt remedium, ut noxia non noceant. Quod? Virgo nimirum Deipara, ipſam rebus noxiis obiicito & ſubitò videbis enecatas. Hoc deduco.

Depaſcebat terram Ægypti locuſtarum multitudo, ſed ventus à Domino ſuſcitatus ablatas in mare deportavit. Quare in mari beſtiolæ illæ & non alibi enecantur? Mare Virginis Deiparæ typus eſt, S. Bonaven. in Spec. B. V. atteſtante. Locuſtæ verò rem nocivam ſignificant, nam herbas ſegeteſque depaſcunt funditus. Ex hoc jam rationem colligere eſt facilæ, cur nocivæ locuſtæ in mari enecentur. Commiſſum eſt enim Deiparæ ut nociva enecet, univerſa. Et ideo nociva præſentiens ipſam ſolicitè advocato, & nec veſtigium ampliùs illorum extans deprehendes.

Exodi 10.

S. Bonav.

2. Reg. 23.

Banaias miles Davidis fortiſsimus leonem vi valida interfecit, ſed in Ciſterna in tempore nivis. Quare in Ciſterna? Per Ciſternam Richardus interpretatur Virginem Deiparam, nam & meritò ſicut in Ciſterna aqua eſt cæleſtis nempè pluvia-

 lis,

lis, ita in Virgine Deipara, aqua gratiarum Cæleſtium tantùm erat. Iam ergo do rationem quare in Ciſterna leonem Bonaias interfecit. Res enim nocivæ, per leonem animal ferum deſignatæ enecantur, ubi Ciſterna vel umbra Deiparæ adfuerit.

3. Reg 4. Iſraël & Iuda, ut ait ſacer textus 3. Reg. 4 habitabat abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſuâ. Quare, obſecro, ſacer textus addit ſub vite ſuâ? Non enim ſacer textus Verbum unum otioſum ponit unquam? Vitis Deiparam adumbrat

S. Bonav. juxta S. Bonav. in Spec B. V. ô homo mihi crede, ſi manſeris ſub hac vite, ſecurus habitabis. Exurgat tota cohors infernalis, nociva adducat universa, diffugient profectò cuncta hac conſpectâ vite, nam ſi te aggredi præſumeret, ſubitò conſurgens Virgo vi valida enecaret univerſa.

1. Reg. 4. Impellebant milites David ut ſauli manus violẽtas in ſpelunca Engaddi injiceret, ſed ipſe proteſtatur ſe non levaturũ manũ in Chriſtum Domini. Quare, obſecro, dimittit inimicum ſuum tam avidè inhiantẽ ſanguini ſuo? Erat in Engaddi vinea adumbrans Deiparam, ideo quia ex illa botrũ Cypri, Chriſtum, accepimus, & ideo nec impium Saulem invadere poteſt quodpiam nocumentũ. Nam etiam ſceleratus, ubi ſub umbram Deiparæ devenerit à nocivo omni tutus erit, enecabit enim illud ſubitò Virgo benedicta.

Tres

Tres Magi qui venerant Hieroſolymam Salvatorem inquirentes non incurrunt aliquod periculum. Et hoc ſanè fuit mirabile, nam quomodo Herodes ad capiendos non exurgit, nam grandis videbatur præſumptio in illo Regno natum Regem inquirere, in quo cernunt Herodem Regiam poteſtatem exercere? Sed non occurrit ipſis quodpiam nocumentum, Stella enim quæ adumbrat Deiparam ſecundum S. Bonav. in Spec. B. V. ipſos deducebat: quem namque Virgo Deipara deducit, jam non profectò, non conſpiciet aliquod nocumentum, nam ilico ſi occurret Deipara illud enecaret. S.Bonav.

De cervo hæc à S. Epiphanio didicimus, ſerpentibus devoratis currit ſolicitè aquam inquirendo, hanc enim ſi intra tres horas invenerit comeſtum venenum non adferet illi quodpiam nocumentum, ſi verò invenire nequiverit, morietur. Hinc S. Carolus pro Symbolo habuit cervum currentem ad aquas cum lemmate, una ſalus. Salutaris aqua vim obtinuit ad nocivuum venenum in ſtomacho cervi enecandum. Sed tu, ô Deipara Virgo, ô aqua ſaliens in vitam æternam, validiorem obtinuiſti poteſtatem. Repleant hominem undequaq; cuncta nocentia, ſi tu aderis, ô Virgo, vim amittent, & nullum ſervo tuo inferent nocumentum:

mentum: Ergo ſemper, ô homo, recurre ad hanc aquam ſalutarem, & cernes tripudians cuncta nocentia ſubitò enecata.

Nociva præcipuè hominem in morte aggrediuntur, ſed adeſt Deipara tunc, & defendit cultorem ſuum. Sit ergo Stella XLVIII. Nomen ejus Caniſtrum (ratio hujus in Symbolo) vel ſcutum (ratio hujus in fine Symboli.)



CANI-

CANISTRVM VEL SCVTVM.

MARIA IN MORTE CVSTODIENS.



INTACTA TOLLITO.

ARGVMENTVM.

Quando cuſtos pomarii vult aliqua poma ſine vulnere tolli, non dejicit illa arborem agitando, vel quatiendo, ſed delicatè manu carpit caniſtro excipienda ſuppoſito. Quadrat Deiparæ, nam cùm Deo complacuerit, ut quempiam mors auferat ſine vulnere peccati, quod præcipuè tentatio tempore mortis intentat mittit Caniſtrum Virginem Deiparam, quæ cuſtodiat ipſum à vulnere.

DISCVRSVS.

POmarium eſt mundus iſte, poma homines, ſed mors improba carpens poma, & quidem nonnulla carpit ventũ tentationis ſuſcitando, qui deiicit poma ſed ſaucia, ſed vulnere æternæ plagæ inſanabili cruentata. ô homo! ô pomũ delicatum! ſi vis ut mors ſine vulnere te decerpat, obſecra ut caniſtrum demittat Omnipotens Virginem Deiparam, ſi aderit morti tuæ hoc Caniſtrum, delicatè, ſuaviter, & ſine ullo nocumento decerperis. Quod protuli manifeſto.

Ionæ 2. Projectum in mare Ionam, Deo permittente, cetus deglutiuit. Res mirabilis vaſta bellua nocumentum Ionæ quodpiam non intulit, nam vivum poſt evomuit in aridam. Quomodo bellua illa Ionam faucibus ſuſcipiens hiantibus, vel dentibus non lædit, vel ſtomachi calore non digerit, vel ſaltem præcluſo anhelitu Prophetam non ſuffocat. Cetus ille juxta gloſſam ordinariam in Ionam deſignat mortẽ, Mare autem Virginis Deiparæ typus eſt, S. Bonav. in Spec. B. V. atteſtante. Iam igitur nemo admiretur læſionem Ionæ à ceto non illatam, nam mare umbra Deiparæ belluam circumdederat glutientem. Cujus enim

S.Bonav.

morti

morti adſtiterit Deipara, non permittit ut horribilis iſte cetus deglutiendo infligat vel tenuem læſionem. O utinam & morti meæ aſsiſtat hoc mare ſuperbenedictum!

Lapidandus à Iudæis S. Stephanus cælos intuetur apertos. Quare tunc & non antea Cælum adapertum à Stephano conſpectum deſcribitur? Cælum adumbrat Deiparam teſte S. Ger. Conſt. in Pſal. 44. ô homo pietatem ſummam Deiparæ conſidera. Advertebat tunc mors fremebunda ut pulcherrimum illud Levitici ordinis pomum violenter ſurriperet, ſed ſubitò & Cælum aperit pietatem ſuam quaſi conteſtando ſe adiſſe & ſolicitè attendere, ne mors Stephanum auferendo vulnus quodpiam infligeret, ut hinc colligas, benedictum hoc Cælum exoptare ut adſit morti tuæ dummodo illud tunc reſpicias: Nam & Stephanus intendens in Cælum vidit adapertum. Nec illud vacat myſterio, quòd Stephanus & filium hominis ſtãtem conſpexerit, nam Deipara Cælum iſtud benedictum, non ſolùm aperit ſuam pietatem quâ cuſtodiat moribundum ſervum ſuum, verùm etiam urget & filium, ut conſurgat & opituletur moribundo. Quid tali cuſtodiâ ſecurius?

Actor. 7. S. Germ. Conſt.

Dum puella mortua quam Chriſtus ſuſcitare advenerat, ipſe dixit non eſt mortua, puella, ſed dormit. Lucæ 8.

dormit. Quare, obſecro, veram mortem puellæ non mortem, ſed ſomnum appellavit? Adnotavi puellam hanc demortuam matrem habuiſſe. Qui autem moritur matrę non orbatus profectò non moritur ſed obdormit. Qua Matre? Non eſt alia verior Mater noſtra quàm Virgo Deipara, ipſa namque genuit caput noſtrum & fratrem Chriſtum IESVM. Felix igitur qui moritur hac Matre ſuperſtite. Nam velut ſomnus ſuavis mors adventans ipſi videbitur, hac enim piiſsima Matre aſsiſtente, non præſumet mors dura amarum quidpiam illi intentare.

Geneſ. 22. Abraham filium amabilem, ſed Domino in immenſum magis amabili immolaturus, altare priùs ædificat, tumque demum filium offerre aggreditur colligatum. Ad quid altare ſtuduit erigere, vel non ſuſcepiſſet victimam Omnipotens abſque altari immolatam? Altare adumbrat Deiparam juxta Method. Orat. ad Hypop. Priùs ergo altare conſtituit Abraham, antequam mors ad filium rapiendum adveniat. Nam felix ille & nimiùm felix quem mors aggreſſura Deiparæ vallatum præſentiâ inveniet, nam profectò non præſumet mors furorem ſuum in ipſum exerere timore Deiparæ & honore conſternata.

Method.

Nec illud abſque myſterio quòd David non moritur

moritur niſi habita Abiſag Sumamitide domi ſuæ. Quare non permittit ipſum obire altiſsimus ſine hac virguncula? David interpretatur dilectus, teſte S. Hieron. in 22. Iſaiæ, Abiſag autem Sunamitis adumbrat Deiparam juxta Richard. l. 5. Non permittitur ergo David decedere niſi habita Abiſag Sunamitide, ut intelligas velle Deum ut aſsiſtat Deipara dilectis ſuis mortem ſubituris. Et hoc ideo, nam contulit Deiparæ vim ſingularem, quâ mortem compeſcat, vimque ejus obtundat, furibundam ne læſione inflicta inferat nocumentum. Quàm igitur bonum, quàm tutum mori in præſentia Deiparæ, ſed ô homo, ut Abiſag iſta benedicta te moribundũ cuſtodiat, ſis David, ſis dilectus, colendo ipsã & diligendo impenſius, nam tales ab illa mirabiliter redamantur.

S. Hieron.

Richard.

Stromateus v. 1317. refert quendam hominem nomine Artemonem ita meticuloſum extitiſſe ut etiam domi duo famuli ſcutum æreum ſupra caput ejus ſuſtinere cogerentur, ne quopiam ex alto decidente vel telo improviſo feriretur; valde ſcrupuloſus fuit miſer iſte in vitæ integritate conſervãda, ſed ſolicitudo ejus umbra eſt in comparationis ſolicitudinis tuæ ô Virgo ſuperbenedicta quam geris erga tuos ſervos morti propinquantes. Tenes continuò ſcutum protectionis tuæ ſupra illos,

imò non unico ſed mille clypeis obumbras, tu enim es illa de qua dictum: Mille clypei pendent ex ea & omnis armatura fortium: ô Virgo, ô Domina mea benedicta digneris adeſſe & miſeræ morti meæ, & ſcutum meræ ac benignæ protectionis tuæ ſupra meum caput expandere!

In morte appenditur homo in ſtatera, in qua non ſolùm ponderatur, utrum ad ęterna ſupplicia, an in viam ſalutis ſit deducendus, verùm etiam dum in via ſalutis vult Dominus ipſum collocare, eò quòd mortali culpâ ſit vacuus, attendit adhuc, utrum rectà in Cælum ire ſit permittendus, an in purgatorium pro aliquo tempore detrudendus? Adeſt & hîc Deipara mediantibus indulgentiis ſua illis merita communicat, ut vel penitus purgatorium non adeat, conditionibus indulgentiarum adimpletis vel pro exiguo adeat tempuſculo, vel ſaltem ab aliquo brevî per indulgentias liberetur, ſit ergo Stella XLIX. Nomen ejus quare Nubes, loquitur Symbolum.

NVBES IMBRIFERA.

MARIA SVA MERITA COMMVNICANS.



SPARGAM IN ORBEM.

ARGVMENTVM.

Quidquid nubes continet totum terræ ſpargendo pluviam communicat. Quadrat Deiparæ, nam merita ſua communicat hominibus.

DIS-

DISCVRSVS.

INops homo, variiſque plenus eſt defectibus, adeò ut etiam juſtitiæ ejus ſint inopes, juxta illud, quaſi pan nus mēſtruatæ univerſæ juſtitiæ no-
Iſaiæ 64. ſtræ: ſed, ô homo, eleva ad Deiparam vocem tuam & ditaberis. Nam benigna hæc Mater omnia ſua merita in theſauro Eccleſię depoſuit, ut ex illis indigus accipiat, communicanſque tantis divitiis defectus reſarciat. Attendito.

Templum Salomonis quoniam parietes niveos exterius, & tectum auro puro tectum habuerat, ex repercuſsione aſtrorum lumen concipiens ilico montem Oliveti lumine perfundebat. Quare, obſecro, Templum illud lumen ab aſtris re-
S.Bonav. cipiens & monti illud communicet? Templum illud Deiparæ figura erat, S. Bonav. in Lau. B. V. atteſtante: Multum ſplendidumque lumen templum iſtud ab altiſsimo receperat, ſed largiſsimâ pietate ilico illud effusè mōtis Oliveti ſurculis, illis ſurculis, de quibus Pſaltes: Filii tui ſicut novellæ olivarum communicant. Non vult enim ſua merita abſcondere, ſed ut quilibet illorum ſit particeps precibus continuis apud filium allaborat.

Inter

Inter alias montis qualitates & hanc invenio, quod pluviam cadenté excipiens non abſcondat, ſed in loca vicina ſibi permittat quoque defluere, cur obſecro hanc indidit Deus monti qualitatem? Mons Virginis Deiparæ imago eſt, juxta S.Greg. 1. Reg. 1. Ergo jam concipio monti inditæ hujus qualitatis rationem. Virgo enim Deipara, non ſibi tantùm retinebat pluvias meritorum, quibus continuò rigabatur, verùm etiam effecit precibus glorioſis ut quoque ad nos delabantur. S.Gregor.

Speculum non ſolùm ſplendorem recipit, verùm etiam illum & aliis ſubitò communicat, hinc beneficio ſpeculorum debitè ordinatorum poſſet aliquis lectitare, etiamſi candela luceret remotiùs. Quare hoc? Typus eſt Deiparæ ſpeculum, ut aſſerit Ildef. Serm. 3. de Aſſumpt. & ideo impertitur receptam lucem & aliis, nam & Deipara ſua merita præfulgida nobis obſcuris communicat. Ildefonſ.

Aſcendentem Virginem admirantes Cæleſtes incolæ appellarunt, ſicut virgulam fumi ex aromatibus &c. Quare aromatibus illam aſſimilant? aromata odorem inditum non occultant, neque ſibi tantummodo retinent, ſed communicant illum & vaſi receptanti, & manui attingenti, imò & diffundunt per medium. En ergo myſterium, Odor ſuaviſſimus merita Virginis Deiparæ exti- Cant. 3.

terunt, non aſſumpſit hunc odorem totum ſydera conſcenſura, dereliquit ipſum in ſuaveolenti Eccleſiæ theſauro, ut piiſſimus hic theſaurus nobis quoque fœtidis communicet illum copiosè.

Geneſ. 2. Quatuor flumina egrediebantur de paradiſo, Quare non continent ſe intra paradiſum, nam indignum eſt, ut alluant terram maledictam flumina loco pulchri & deliciis conſpicui? Paradiſus S. Bernar. Virginem Deiparam repræſentat, ſic S. Bernard. Serm. 3. in Salve Reg. Iam igitur vel ex hoc, ô homo, intellige quàm effuſa ſit Deipara, ad merita ſua in nos effundenda. Nequit enim Paradiſus iſte continere ſuorum flumina meritorum, effundit illa & tranſmittit, ut alluant & nos in hac maledicta terra commorantes.

Narrat Euſebius Nieremb. lib. 1. Hiſt. natur. cap. 20. Ocotochlum cervo enecato in proceram pinum aſcendere & clamore ſuo alias feras convocare ut ad manducandum conveniant; conveniunt ad vocem ejus, & prædâ ſatiantur. Magna profectò eſt liberalitas feræ hujus, dum prædam ſuam communicat & aliis, ſed major eſt tua benignitas, ô Virgo Deipara, cuncta enim merita tua reliquiſti in theſauro Eccleſiæ & ſtimulas ſummum ejus paſtorem ut aſsiduo illa per indulgentias tam vivis quàm defunctis unà cum meritis Chriſti Filii

lii tui ſervorumq́ue ejus communicet. Benedicat te cunctus orbis terrarum, ô Virgo, pro tam effuſa in nos pietate.

Hominibus quàm multa & varia exhibeat beneficia benedictum hoc FIRMAMENTVM, Deipara Virgo, jam oſtendimus; unum adhuc reſtat, illudq́ue & ultimum & præcipuum. Quod? Procurat illos non ad qualemcunque gloriam, ſed ad intenſam promovere: ſit ergo Stella L. Nomen ejus ſit NIDVS AQVILINVS. Quare autem? Colliges ex illo quod in fine Symboli adducetur.

NIDVS AQVILINVS.

MARIA MAGNAM GLORIAM PROCVRANS.



SINT IN SVMMO MEI.

ARGVMENTVM.

Aquila non in quolibet loco collocat nidum pullorum ſuorum, ſed in arduis juxta illud Iob: Et in arduis ponet nidum ſuum. Quadrat Deiparæ, nam & illa nidum gloriæ, in quo requieſcant ſervi ejus in æternum, in ſublimi gradu nititur collocare.

DIS-

DISCVRSVS.

CHriſtianus non ſolùm cupere debet ut gloriam cæleſtem conſequatur verùm etiam ut ſublimem. Nam qui altiorem gradum gloriæ conſequetur, majori quoque dulcedinis ubertate replebitur. Et quidem miſero homini ſat eſt difficile gloriam celeſtem conſequi abſolutè, quantò difficiliùs altiorem! ſed erige,animum ô homo, providit Omnipotens Virginem Deiparam, ipſam ſi colueris, grandem tibi gloriam procurabit. Et vide.

Venientes exploratores ad terram promiſsionis perluſtrandam magnum vini botrum abſciderunt. Quare, obſecro,auferunt grandiorem, nam ſumma emerget difficultas, non ſolùm in pondere ejus deferendo, verumetiam in periculis evitandis quæ conſurgent, ſi quiſpiam ex incolis deprehenderit ipſum deportantes? Terra promiſſionis Virginem Deiparam adumbrat ſecundum D. Auguſt. Serm. poſt Dom. 1. Quadrageſ. botrus verò gloriam cæleſtem, nam ex ipſo bibemus vinum illud quo inebriabimur ab ubertate domus Dei. Non exiguum ergo botrum vini venientibus à ſe terra promiſsionis exhibuit; nam

Numer. 13.

S. Auguſt.

Virgo ſuperbenedicta non qualemcunque gloriam ſuis allaborat offerre cultoribus, ſed grandem, ſed ſublimem. Benedicta ſit pro tam æſtuante erga nos cultores pietate.

Ioſue 3. Ad Iordanem filii Iſraël devenerant & implentes ripas alvei tempore meſsis inveniunt. Obſervo, decretum eſt altiſsimi ut per fundum ejus Iſrael gradiatur, quare ergo ripæ ejus completæ ſunt, potiùs enim immiſſo æſtu tantiſper deſiccatur. Suppono per Iordanem tempore meſsis Gloriam cæleſtem poſſe explicari: Iordanis enim ſecundùm Bartholom. Anglic. lib. 13. cap. 8. de rerum proprietatibus, dividebat Iudæam ab Arabibus, fideles ſcilicet ab infidelibus: ut idemmet explicat. nulla autem res alia fideles ab infidelibus ſeparabit, meſſe illa ultima adventante, in quo triticum in horrea, zizania in faſciculos colligata in ignem deferentur, niſi gloria ſempiterna. Hoc ſuppoſito jam quilibet recognoſcit, cur Iordanem tunc plenum Iſrael inveniat. Nam arca quæ typus eſt

S. Bonav. Deiparæ teſte S. Bonav. in Spec. B. V. ipſum deducebat. Quem enim ad Cælum deducit Virgo Deipara Iordanem profectò inveniet exundantem, nam gloriam copioſam ſuis cultoribus præparat hæc arca benedicta.

Videmus aves locum occupare altiorem quàm homines

homines, poloque mundi ex quo inferioritatem vel ſuperioritatem loci colligunt Philoſophi propinquiores exiſtere. Quomodo occupabunt locum homine altiorem, cùm humanum corpus ipſis longè ſit nobilius, ac proinde loco altiori honorandum? Aves aquarum prolem eſſe ſcriptura atteſtatur cùm deſcribat illa ex aquis proceſsiſſe. Aqua autem imago eſt Deiparæ, Richard. lib. 9. atteſtant. ô homo jámne recognoſcis myſterium? Bene bene altiorem locum obtinent aviculę, quandoquidē de ſtirpe aquę proceſſerunt. Nam omnes filii Deiparæ locum in gloria tenebunt altiorē. Hæc enim Mater ſuperbenigna continuè allaborat, ut ſummā gloriam illis provideat. *Gen. 1.* Richard.

Inter ſtellas Aurora pulchriorem habet lucem. Quare obſecro? Aurora Soli famulatur, & velut ſatelles adſtat orienti. Ecce myſterium! Sol Deiparam repræſentat. Sic S. Bernard. ſerm. 3. in Salve Regina. Stellæ autem deſignant Sanctos in gloria, juxta illud Apoſtoli, ſtella differt à ſtella in claritate. Hoc ſuppoſito, jam intelligere eſt facilè, quare Aurora plurimas ſtellas in claritate exuperat. Per hoc enim innuitur Cultores Deiparę plurimos in gloria Sanctos ſuperare. Non ſolùm enim Virgo hæc ſuperbenedicta claritatem glorię ęternę ſuis procurat cultoribus verùm etiam uberem & abundantem. S. Bernardus.

Nec

3. Reg. 8. Nec illud caret myſterio quòd Templum Salomonis 3. Reg. 8. poſtquam nebula impleverat, ſubditur quòd & gloria Domini domum Domini impleverit. Quare enim poſt nebulam implevit gloria domum Domini? Per Templum poſſumus intelligere ſanctos, nam de illis dicitur: 1. Cor. 6. Neſcitis quia membra veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti: per nebulam autem Virgo Deipara, adumbratur, juxta illud: Et ſicut nebula texi Eccleſ. 24. Richard. omnem terram Eccl. 24. ſic appellat illam & Richard. lib. 12. ô quàm igitur templum fortunatum in quo comparebit nebula ſalutaris Virgo Deipara, profectò tale Templum, talis ſanctus non ſolùm gloriam Dei videbit ſibi impertitam, verùm etiam implentem copiosè, abundantem enim gloriam Virgo Deipara illi procurabit.

Omitto illud arcana Dei meliùs penetrabant Danielem quàm alios tres pueros, quia ad feneſtras orabat adapertas. Feneſtra enim Deiparæ typus S. Auguſt. eſt teſte S. Aug. Ser. 15. de Tem. Et meritò. nam per illam lux in domum mundi hujus introivit, ut intelligas cultores Deiparæ, penetraturos Arcana Dei intimiùs, videndo illam in gloria intenſiùs.

Omitto quod non Cælum ſed Cæli aperti ſunt Ezechieli ſecus fluvium Chobar exiſtenti, per fluvium

vium enim Deipara adumbratur teſte S. Bernard. ſerm. 3. in Salve Regina. ut innuatur multitudinem gloriæ, non gloriæ ſolùm Deiparæ famulos conſpecturos. S.Bernard.

Albertus Magnus lib. de Animal. lit. A. refert, quòd in nido unius Aquilæ inventæ ſint anatum 300. reliquiæ. 100. anſerum, liſterum 40. & piſcium magna multitudo. Copioſum cibum congraverat hæc Aquila, quo pulli ſui in nido veſcerentur. Sed Virgo Deipara Aquila iſta generoſa, multò copioſorem cibum in gloria cæleſti congregat pullis ſuis. O verè congregat dulcem cibum, nam viſionem Summi & Optimi Dei præparare allaborat. O verè copioſum, nam condit ſollicitè, ut non paucos gradus viſionis Dei conſequantur: ſed plurimos. Benedictus ſit tam magnus, magnæ Matris erga ſuos pullos affectus. O Virgo dulcis Mater mea, & ego me profiteor eſſe pullum tuum. Procura igitur, ô Virgo Deipara, ut uberem hunc cibum in nido Cæleſti tuis interceſſionibus congregatum inveniam.

CONCLVSIO LIBRI.

HÆc ſunt, ô Domina mea ſuperbenedicta, quæ de tuis in homines beneficiis puſillus ſervus tuus ſcribere conatus eſt. Parvū opus, laborq́ exiguus; fateor: ſed à vili quis grandia expectaret? Ita eſt, fateor, ô Domina mea clementiſſima, & vilis ſum, & pauculus labor meus; attamē quod deeſt muneri, hoc ſuppleat affectus effuſior: imò & affectum ipſum pietas tua immenſa ſuppleat; nam omnia iſta nihil ſunt in comparatione tuorum in me beneficiorum innumerabilium. Hoc dixiſſe ſufficiat: Mater es, & filum à filio oblatum grato animo ſuſcipies.

Quidquid in hoc Libro ſenſui S. Matris meæ Romanæ Eccleſiæ diſſonum, aut minùs conſonum dictum eſſet, totum iſtud retracto, doleo, comburo, & anathematizo.

SERIES SYMBOLORVM.

Symb.				Pag.
1	*Fons publicus,*	Sive	*Maria ſemper benefaciens.*	3
2	*Speculatrix,*		*Maria detegens pericula.*	9
3	*Irriguum vivificum,*		*Maria languentes erigens.*	13
4	*Catena aurea,*		*Maria proſperitatem cuſtodiens.*	18
5	*Lampas terrificans,*		*Maria paſsiones compeſcens.*	22
6	*Vinum conditum, vel Vehiculum lætitiæ,*		*Maria exhilarans.*	27
7	*Alumen,*		*Maria fortificans.*	31
8	*Serenitas,*		*Maria adverſa conſumens.*	36
9	*Vallum vel Fortalitium,*		*Maria enervans pericula.*	42
10	*Oleum,*		*Maria pacificans.*	47
11	*Ver,*		*Maria renovans vetuſtates.*	52
12	*Saccharum,*		*Maria gratificans opera viliora.*	57
13	*Paradyſiaca, vel Currus igneus,*		*Maria ſurſum elevans.*	62
14	*Referendaria,*		*Maria orationes Deo offerens.*	68
15	*Templum,*		*Maria ingratis benefaciens.*	73
16	*Focus, vel ignitabulum cæleſte,*		*Maria inflammans.*	78
17	*Monile,*		*Maria exornans.*	83
18	*Incenſum,*		*Maria mitigans iram Dei.*	89
19	*Clavis aurea,*		*Maria aperiens Cælum.*	95
20	*Funda,*		*Maria victoriam conferens.*	99
21	*Nebula,*		*Maria peccata tegens.*	104
22	*Procuratrix,*		*Maria providens neceſſaria.*	110

Symb.				Pag.
23	*Latibulum,*		*Maria abſcondens à flagellis.*	116
24	*Annulus,*		*Maria trahens ad Deum animas.*	122
25	*Cataplaſma,*		*Maria dolores allevians.*	127
26	*Vmbraculum,*		*Maria refrigerans ab æſtu.*	132
27	*Sepulchrum vivificum,*		*Maria à morte reſuſcitans.*	136
28	*Hortulana,*		*Maria extricans ab erroribus.*	141
29	*Fiſtula Dioptrica,*		*Maria erudiens,*	147
30	*Geometriſſa.,*		*Maria præcepta facilitans.*	153
31	*Vncinus aureus,*		*Maria attrahens benedictiones.*	158
32	*Cinis ſalvificus,*		*Maria à ruina præſervans.*	164
33	*Cæleſte mortarium,*		*Maria cor durum emolliens.*	170
34	*Magnes,*	Sive	*Maria ad nos Deum trahens.*	175
35	*Rupes ſubveniens,*		*Maria ſalutem procurans.*	180
36	*Feneſtra,*		*Maria captivos dimittens.*	185
37	*Theriaca,*		*Maria mala in bona tranſmutans.*	190
38	*Poculum abſtemium,*		*Maria terrenorum faſtidium induens.*	196
39	*Armamentarium,*		*Maria arma miniſtrans.*	201
40	*Cornu olei,*		*Maria ad magna promovēs.*	206
41	*Fiſcella,*		*Maria pupillorum curam gerens.*	211
42	*Nidus Alcyonis,*		*Maria ſecuritatem gignens.*	217
43	*Spongia,*		*Maria debita abolens.*	222
44	*Alveare,*		*Maria delitias miniſtrans.*	227
45	*Via Regia,*		*Maria auferens obſtacula.*	232

Series Symbolorvm.

Symb.			Pag.
46 *Hortus Balſameus,*		*Maria bene rependens obſequia.*	238
47 *Clava,*		*Maria nociva enecans.*	244
48 *Caniſtrum vel Scutum,*	Sive	*Maria in morte cuſtodiens.*	249
49 *Nubes imbrifera,*		*Maria ſua merita communicans.*	255
50 *Nidus Aquilinus,*		*Maria magnam gloriam procurans.*	260

Indicem alium ponere non eſt neceſſe; nam ſicut totum opus, ſic & quilibet conceptus in illo contentus, tantùm eſt de ſola Virgine Deipara.

Indicem quoque Concionum non appono; nam ad Deiparæ Feſta quilibet materias prædictas poterit applicare facilè. Exemplum ſit in primo Symbolo: vis uti illo pro Feſto Conceptionis Immaculatæ? Sic illud applica. Siccitas erat in terra noſtra, & oſtende qualis ſiccitas; ſed jam modò Divina bonitas creat fontem, eumque publicum: Et oſtende quomodo fons iſte ſemper benefaciet. Vis idem Symbolum applicare Feſto Nativitatis? Eodem modo ut patet poteris applicare. Vis Feſto Præſentationis? Dic hodie in templo fons erupit. Vis Viſitationis Feſto? Dic: rem miram

miram video,fons in montana velociter aſcendit, vel in domo Zachariæ video fontem. Vis Annuntiationis Feſto ? Dic : Replet Deus hodie fontem noſtrum, nam deſcendit hinc pluvia in Virginem. Gaudeamus,quia fons iſte ſemper nobis benefaciet. Vis Feſto Purificationis ? Dic: Fontem video in Templo Hieroſolymitano. Allicio ad illum,jam ſemper benefaciet. Vis Aſſumptionis ſolemnitati? Dic: Transfert Deus in Cælum fontem noſtrum , ſed tamen minimè contriſtemur ; nam & de Cælo demittet nobis aquas ſuas. Natura enim eſt fontis hujus ſemper benefacere. Quod oſtendi in hoc Symbolo, idem experieris in aliis. Et ideo nõ mihi vertas vitio,quòd Indicem Concionum non poſui : nam quodlibet Symbolum quilibet Solemnitati Deiparæ poteris applicare.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.L.

1200